

Q.K.
368
II.

(X 1882567)

II n
511

Q. D. B. V.
A VSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI DOMINI
FRIDERICI AVGVSTI,
PRINCIPIS IVVENTVTIS REGII, ET ELECTORATVS
SAXONICI HEREDIS,
ET CETERA,
EXERCITATIONEM
EX
HISTORIA CIVILI,

DE
PRIMIS DVOBVS
AVGVSTIS,
M. AVRELIO ANTONINO,

ET
L. AVRELIO ANTONINO VERO,
PRAESIDE
CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,
P. P.

OMNIVM ΦΙΛΙΣΤΟΡΟΥΝΤΩΝ ΙΥΔΙCΙΟ
EXHIBET
AVCTOR


M. CHRISTIANVS FREYTAGIVS,
SCHNEB. MISN.

A. D. IDVS SEPTEMBREIS

A. O. R. ϷIc IϷcII.

IN AVDITORIO MAIORI.

VITEMBERGAE, PRAELO GERDESIANO.





Q. B. V.

§. I.



Agna et inexplebilis regnandi cupiditas est, adeo ut saepe ipsos naturae fines transire cupiat, modumque omnem excedat. Hac inflammatus Alexander M. Macedonum Rex, cum Anaxarchus e Democriti schola profectus, innumerabiles mundos assereret, ingemuisse fertur, quod adhuc ne unum quidem subiecisset sibi ac superasset. *Apud Valerium Maximum L. VIII. c. 14. Vbi memorabilis est sententia, quae occurrit apud eundem: Angusta homini possessio gloriae fuit, quae deorum omnium domicilio sufficit.*

§. II.

Inprimis autem regni societatem infidam esse, omnium temporum monumenta nos docent. Haec multorum Imperiorum splendorem ac dignitatem in summum saepe discrimen adduxit, imo etiam aliquando extinxit. Multas Respublicas vastavit haec et evertit, caedibusque ac parricidiis dehonestavit. Neque incultarum solum, sed etiam mitiore ingenio praeditarum gentium principes hoc aemulandi studio flagrarunt. Hoc Dania multis vicibus experta est, non illo tantum tempore, quo cum infanis gentium a vero Numinis cultu remotarum superstitio-

tionibus adhuc conflictata est; ut sec. II. in Frothone V. et Haraldo I. regni socio a Frothone occiso. *V. Krantzius L. I. Daniae c. 40.* et sec. IX. in Sivvardo II. et Anulone f. (uti Krantzio dicitur) Ringone, qui in mutua odia excitati animis, regnum Daniae in magnum periculum coniecerunt. Legendi sunt illorum temporum, *Annales Danici et Francici*, atque ex his *Pithoeani ad A. DCCCXII. Conf. Krantzius L. IV. Dan. c. 5. alii.* et statim in Haraldo V. (al. VI.) et Ragenfrido seu Regnero, qui ab Haraldo pulsus est, iterum postea Haraldo eiecto. *testibus itidem illorum temporum Anna-libus. V. Krantzius, L. IV. Dan. c. 6. 7.* (Quamvis Haraldus ille iam tum A. C. DCCCXXVI. praesente Ludovico Pio Imp. Sacris Christianorum Moguntiae cum uxore et proceribus, quos secum habuit, initiatus fuerit. *V. Krantzius l. cit. et c. 10.* non magnam tamen vim auspiciis istud purioris doctrinae apud Danos habebat.) Sed etiam cum misso Ansgario Archiepiscopo Hamburgensi medio fere sec. IX. ad purgata ab idolorum cultu sacra Numini celebranda propius esset adducta: *Krantzius L. cit. c. 13.* et ineunte sec. X. sub Conrado I. Germaniae Rege, cura inprimis et labore Henrici patris Ottonis M. Unno itidem Hamburgensis Archiepiscopus, antiquatis gentium simulacris, liberam sacra Christiana exercendi potestatem accepisset, annitente etiam Thira Christiana femina, Gormonis conjugue, et Ottone Rege Germaniae: *testantibus Krantzio L. IV. Dan. cap. 16. et illorum temporum Chronicis fide dignissimis:* nihilo minus damni divisa regnandi potestas attulit. Sic sec. XII. tempore Friderici Aenobarbi cum Svenno IV. Canutus V. et VValdemarus I. regno inter se diviso, et fide sacramenti religione firmata, per aliquot annos simul imperassent, primus eorum Svenno Canutum et VValdemarum, subornatis percussoribus, e medio tollere tentabat: Canuto etiam extirpato VValdemarus tamen evasit, et solus regnum administrare coepit, postquam Svenno captivus factus interisset. *V. Krantzius L. V. Dan. c. 40. 41. 42.* Longum esset, et
ab

ab instituto alienum recensere, quot caedibus cladibusque multi populi propter regni societatem afflicti fuerint. Omnium fere temporum historiae exempla suppeditant atque confirmant, duorum pluriumve Imperium in ea praesertim Reipublicae forma, quae Monarchiae ante as-
sveta fuit, consistere non posse.

§. III.

Nos heic intra Romani Imperii limites merito consi- stemus. Hoc enim ceterorum fere omnium Imperio- rum Regnorumque gloriam splendore suo obscurat. Hinc cum Alexander (antea Alexianus dictus, v. *Herodianus L. V. f.*) adhuc parvulus vatem consulisset, responsumque inter alia tulisset:

Te manet Imperium, quod tenet imperium:

Certo omnes augurati sunt, Romani eum Imperii Principem futurum. Nullibi enim imperium, quod tenet imperium, nisi apud Romanos esse perspiciebant. V. *Lampridius in Alexandro Se- vero c. XIV.* In hoc duo pluresve aequaliter summam po- testatem tenentes, variis periculis, caedibus, direptionibus, aut saltem simulatibus clandestinis Rempublicam vexa- runt. Et quo maior huius Romanae potestatis maiestas est, eo etiam maior inter plures aequaliter potentiam illam obtinentes contentio extitit. Etiam cum nondum res Romanae ad unius Imperium delatae, vel ut *Herodiani verbis L. I. p.* utar, ἡ ῥωμαίων δυναστεία μετέπεσεν εἰς μοναρχίαν, ne- que ad summum AUGUSTAE dignitatis fastigium evectae essent, postquam viri imperandi libidine accensi, divisa po- testate Rempublicam tractarent, armaque in sua converte- rent viscera, exitium fere ruinamque publicae saluti attu- lerunt. Huc spectat Bellum Marianum quod sec. ab V. C. VII. A. circiter LXVI, coepit. Marius enim Cinna et Sul- la inter se de principatu contendentes, eo rem adduxe- runt, ut victore Sulla ex oriente reverso, ad Sacriportum et Collinam LXX. amplius millia caesa sint, exceptis MM. ex ipso *Equestris ordinis flore et Senatu ad mortem destina-*



tis. *V. Florus L. III. Hist. c. 21.* Tempora ipsumque Capitolium sanguine civili inquinata: ut *Florus l. c.* confiteatur, bellum hoc hostilem etiam rabiem supergressum fuisse, et eo usque odiis saevitum esse, ut deessent, qui occiderentur. *V. Appianus L. I. Εμφυλ. m. Conf. Plutarchus in vita Marii et Sullae.* Paucis deinde annis interiectis A. nempe ab V. C. DCXCIX. Cn. Pompeius, M. Crassus et C. Caesar magna potentia instructi, post Parthicum Armenicumque bellum, inita potentiae societate, (teste *Svetonio in Caes. c. XIX. v. etiam Dionem Hist. Rom. L. XXXVII. sub fin.* *) divisis Romanae Reipublicae provinciis, mutuis odiis ex aemulatione ortis distracti divulsique, atque Imperio Romano et sibi etiam exitio fere fuerunt: Inprimis Caesar et Pompeius post occisum a Parthis Crassum, cum ille se superiorem, hic vero parem, *Ciceronis* iudicio, ferre non posset. *Velleius l. II.* Caesar enim e Gallia cum legionibus Romam veniens, eiectum inde Pompeium in campis Pharfalicis in Thessalia A. V. C. DCCVI. iteratis hinc inde congressibus, fregit et viribus exuit. Ac prioris quidem belli Mariani rabies gentes extra Italiam sitas non corripuit: Hic vero inter Caesarem et Pompeium furor totum fere qua patebat Romanum Imperium, Italiam, Galliam Hispaniam, Thessaliam, Aegyptum, Asiam atque Africam vexavit. *V. Florus L. IV. c. 2. Commentarii de B. C. Lib. III.* comprehensi, qui ipsi *Caesari* adscribuntur. *Svetonius in Caes. c. XXX. XXXIV. XXXV. et XXXVI. Appianus dimidio Lib. II. Εμφυλ. alii.* Neque tum calamitates civiles ob sociatam potentiam excitatae finem habuerunt. Caesar enim *Octavius* causam optimatum deserens. (*Svetonius in Octavio c. XII.* concordia licet ficta, ut indicat *Dio*, cum M. Antonio et M. Lepido circa Bononiam (*Dionem sequimur L. XLVI. alii aliter*) inita, *Svetonius in Oct. c. XIII. Florus L. IV. c. 5.* triumviratum constituerunt in
 quin-

* *Appianus de Pompeio et Crasso* dicit: Επήνευτ' ἄς νόμους (Caesaris scil.) item: κοινῶν δ' ἑσθ' ἰσχυρίας (Caesaris) eosdem vocat.

quinquennium A. ab V. C. DCCXVII. Add. *Appianus*
L. I. ΕμΦυλ. p. et L. IV. pr. Hinc in multos foeda crudeli-
tatis documenta edita, omniaque exemplo Sullanae ferita-
tis acta, propositis etiam Senatorum et reliquorum homi-
num tabulis: imo coniunctissimi Triumvirorum amici
proscripti, ut Antonii et^a Fulviae saevitiam in multos in-
primis in Ciceronem, Romanam illam Sirenem; faculta-
tum direptiones, militum impudentiam taceam. *V. Dio*
L. XLVII. pr. Praecipue in Brutum et Casium libertatis de-
fensores variis modis bello Philippensi saevitum, in quo
acriter et diu aeqvo Marte pugnatum: multi Senatores
proscripti. *V. Suetonius in Oct. c. XIII. Dio L. XLVII. f. Florus*
L. IV. c. 6. Bello vero Perusino multi in Italia in agrorum
divisione a Caesare facta bonis suis spoliati sunt, et confli-
ctu etiam inter plebem et milites Romae aliisque Italiae
urbibus habito, multi perierunt; multae domus combu-
stae; omnia ornamenta Romae et per totam Italiam ex templis
erepta, ut ex iis pecunia conflaretur. CCC. (Dio CCCC.
utriusque ordinis hostiarum more ad aram divo Iulio extructam
maclatos ferunt. Suet. in Oct. c. XIV. XV. Vrbs ipsa Etru-
riae Perusia, excepto fano Vulcani, tota exusta legitur. *V.*
plura apud Dionem L. XLVIII. pr. Bello deinde Siculo a
Sexto Pompeio caedibus rapinisque Italia afflicta: in quo
bello ipse Octavius ter magnum vitae periculum adiit. *V.*
Suetonius in Aug. c. XVI. Dio L. XLVIII. f. et XLIX. p. Mox
Octavius, postquam opes et potentiam Lepidi aeqvis oculis
non amplius intueri poterat, et pactum cum Pompeio in-
iisse Lepidum suspicatus erat, eum viribus exutum *Circeios*
in perpetuum relegavit. Suet. l. c. Sic abrogato triumvi-
ratu etiam Octavii et Antonii *societas semper dubia et incer-*
ta reconciliationibus variis male focillata: (verba sunt *Suet.*
in Oct. c. XVII.) dirimitur. Praelio enim apud Actium
Epiri promontorium congressi sunt: victusque Antonius
in Aegyptum fugiens, potentia vitaque privatus est. *Suetonius*
l. cit. Florus L. IV. c. 11. alii Appianus L. IV. V. integris ΕμΦυλ.
IV.

§. IV.

Cum vero A. V. C. DCCXXIII. Octavius summam potestatem sacrumque AVGVSTI nomen A. V. C. DCCXXVII. * solenniter et omnium consensu delatum accepisset, qui AVGVSTI titulus in tanta veneratione esse credebatur, ut eidem MAIESTATIS nomen, quod ipsius Numinis proprium erat, tribui coeperit; quae antea, cum populus res Romanas regeret, populi erat, et hinc MAIESTAS populi audiebat; sicut postea MAIESTAS Augusti dicebatur; in quod AVGVSTI nomen omnes Imperatores velut quadam adoptione et iure hereditario succedere Alexander Severus Imp. confirmat, apud Lampridium c. X. V. etiam Svetonius c. VII. in Oct. Dio L. LIII. m. Appianus L. I. Ευφουλ. princ. Pari certe si non maiori studio atque contentione, nimio etiam interdum fervore et furore, malis artibus, caedibusque ad Imperii administrationem multi aspirarunt. Neque unquam duorum plurimumve aequalis Maiestas firmiter placideque stabilita mansit, sed invidia atque simultate, insidiis atrocibusque bellis et cladibus in magnum saepe discrimen deducta est. Prorsus ut videatur summum hoc atque insigne AVGVSTI nomen divini Numinis consilio uni tantum consecratum esse. Hinc Florus L. IV. c. 3. dicit, nunquam Imperii corpus coire et consentire potuisse, nisi unius praesidis quasi anima ac mente regeretur. Primum autem et maxime memoratu, et admiratione dignum divisae summae potestatis in Imperio Romano exemplum, de quo haec agere animus est, series Imperatorum sec. II. nobis exhibet, in qua post Titum Antoninum M. AVRELIUS ANTONINVS et L. ANTONINVS VERVS Fratres, morum dissimilitudine insignes, aequale in Imperio Romano ius obtinuerunt. V. Hieronymus in Interpret. Chron. Can. Eusebii ad A. CLXII. Nec obstat Flavii et Titi Vespasianorum historia;

* Octavius Augustus est appellatus, eum ipse COS. VII. esset. Biennio post Epocha Augustorum coepit.

ria; inter quos divisa forsā Imperii dignitas quibusdam
 videri posset. De Tito enim memorat *Svetonius c. V.*
 quod cum urbem Hierosclymorum die natali filiae suae,
 auspiciis Patris Flavii cepisset, tanto militum favore plausu-
 que exceptus fuerit, ut *in gratulatione IMPERATOREM*
eum consalutaverint, et omni studio ac minis etiam con-
 tenderint, ut eum in Oriente retinerent. Vnde etiam
 suspicio nata fuerit, *quasi desciscere a patre, Orientisque impe-*
rium sibi vindicare tentasset. ibidemque narrat *Auctor*, quod id-
 eo Romam veniens, ut omnem de se suspensionem tolleret,
 dixerit: *Veni, Pater, veni.* Qui IMPERATORIS titulus et-
 iam, stante Republica, Viris bene meritis ab exercitu con-
 ferebatur. De Antonio, victo et occiso Catilina, IMPERA-
 TORE appellato, vid. *Dio L. XXXVII. f.* Ex quo liquet,
 certum quendam occisorum numerum constitutum fuisse
 ei, qui IMPERATORIS nomen mereretur. Hinc *Appia-*
no teste L. Παρθ. pr. Crassus *δεξάμενος* αυτοκράτωρ ὑπὸ τῆς
στρατίας ἀναγορευθῆναι, πολλὴν ὠφλεν αἰχύνην, καὶ ταπεινὸς
ἐφάνη, καὶ περὶ τὰ μείζονα δύσελπις. Illustrem locum etiam
 de hoc nomine *conf. apud Dionem L. XLIII.* Titus autem
 hunc IMPERATORIS titulum tantum in castris, non et-
 iam Romae, consecutus est. Quod falso statuere censent
 Viri eruditi *Philostratum L. VI. de vita Apollonii f.* Vbi Apol-
 lonius Philosophus, cuius praecipis de administrando Im-
 perio se imbuendum praebuerat Titus, eundem disceden-
 tem etiam *Regem* appellat. Et sane IMPERATORIS appella-
 tio, (qua plerumque tanquam *praenomine* iam inde ab Octa-
 vio usi Augusti sunt,) non facile ipsam AVGVSTAM di-
 gnitatem indicat: praesertim si a militibus in castris de-
 latum esse legatur, in quibus iis, ut iam dictum, qui res ma-
 gnas prospere gessissent, hoc nomen offerri solene erat,
 vti Curio, rebus in Africa bene gestis, *universi exercitus con-*
clamatione IMPERATOR appellatus Caesar L. II. B. C. p. 553.
ed. Montani. Quod etiam, AVGVSTA dignitate in Impe-
 rium Romanum introducta, obtinuit: licet maiori labore
 B iam

iam tum sec. II. *Appiano teste, compararetur.* Inde fit, ut
uni pluribus vicibus id nomen tributum legatur. *V. Dio L.*
XLIII. f. Sic hac ratione Octavio nomen IMPERATORIS
semel atque vicies tributum apud Tacitum Annal. L. I. c. 9. me-
moratur, Et Marcum, victis ad Danubium non sine sin-
gulari DEI ope Germanis, *septimum IMPERATOREM*
appellatum esse, *testatur Xiphilinus in Dionis Epitome de Mar-*
co m. Et victis Scythis, idem paulo ante obitum *decimum*
IMPERATOR appellatus dicitur *ab eod. f.* Et quamvis et-
iam a Senatu hoc nomen iam tum C. Iulio Caesari, tan-
quam summi Imperii cognomentum et signum plenae et
perfectae potentiae, (*Dio L. LIII. m.*) tributum fuerit, *teste*
Svetonio in Caes. c. LXXVI. parum tamen potestatis hac ra-
tione Caesaribus accedebat; auctoritatis et honoris non-
nihil addebatur. Maxima vero deinde et nimia interdum
libidine milites in tribuendo hoc titulo usi, sibi que hac arte
et fraude ius ac potestatem AVGVSTVM designandi ar-
rogare conati sunt: praesertim postquam *progenies Caesa-*
rum in Nerone defecisset. Svetonius in Galba. c. l. Tum multi
hinc inde ab exercitu tumultuario etiam interdum more
IMPERATORES appellabantur. Neque hi statim omnium
suffragio excepti sunt. Hinc post consalutationem, in Se-
natum, et hinc in castra praetoriana armati etiam inter-
dum processerunt, ut dissentientes in partes suas trahe-
rent. Quae res per multa secula magnis saepe bellorum
motibus agitata est. Collisi ea de causa M. Ottho et A. Vi-
tellius. *V. Svetonius in Othone c. VIII. IX. et in Vitellio c. IX. X.*
Vitellius enim a Galba in inferiorem Germaniam missus,
vix dum mense transacto, neque diei, neque temporis habitatio-
ne, ac iam vespere, subito a militibus e cubiculo raptus, ita ut
erat in veste domestica IMPERATOR consalutatus erat, con-
sentiens atque etiam superioris provinciae (Germaniae) exer-
citus. Svet. in Vitellio c. VIII. Conf. idem in Othone c. VIII. Dio
apud Xiphiliana in Galbam. Et haec quidem vivo adhuc
Galba gesta sunt. Adeo praecipiti interdum furore mili-
tes

tes in deferendo IMPERATORIS nomine corripiebantur: ut de Gordiano Seniore *Capitolinus in Maximino Sen. c. XIV.* referat, eum senem, *reclamantem, et se terrae affigentem, (in terram se proiicientem,) opertum purpura, (non vestitum,) imperare coactum a militibus. Conf. idem in Gordianis c. VIII.* Vbi eum *circumfusum purpura* dicit. Vivo etiam adhuc Nerone, Galba Vindici per literas incitanti, *ut se humano generi assertorem ducemque commodaret, consensit. Svetonius in Galba c. IX.* ut numi varii generis, teste Torrentio ad Svet. cusi fuerint, cum effigie *Libertatis*, addito elogio: LIBERTAS PVBLICA. *Sedens deinde Galba pro tribunali, et deplorans temporum statum IMPERATOR consalutatus. c. X. Conf. Dio apud Xiphilinum in Nerone f.* Et Ottho largitionibus variis militibus sibi conciliatis, misisque percussoribus, qui Galbam occiderent, etiam ante commissum parricidium IMPERATOR *a praesente comitatu consalutatus est. Svetonius in Oth. c. IV. V. et VI. Dio apud Xiphilinum in Galba f.* Qui etiam a Vitellio mox defecerunt *exercitus Moesiarum, Pannoniae, Iudaicus item et Syriacus, et in Vespasiani verba iurarunt: Svetonius in Vitellio c. XV. Dio apud Xiphil. in Vitell. p.* Hac de causa sec. in primis III. magno numero extiterunt, qui contra legitimos Imperatores imperium sibi fraude atque vi militum saepe arripuerunt: qui plerumque TYRANNI erant, h. e. *Intartae* s. contra surgentes ἀπὸ τῆ ἀνταίπεθαι. Et ab anno eiusdem sec. CCXXXV. usque ad A. CCXXXVIII. sex AVGVSTI simul fere Imperium rexerunt: Duo nempe Maximini in Gallia, homines barbari e Thracia ex infima sorde oriundi; duo Gordiani in Africa purpuram sumentes, quibus a Capelliano, partibus Maximini studente, mox victis, Pupienus Maximus, et Coelius Balbinus a Senatu et populo AVGVSTI constituti sunt. Quorum omnium vitas diligenter persecutus est *Iulius Capitolinus.* Tanta erat aemulatio in Imperio Romano, ut post Gordianum III. ad Valerianum intra XV. An. spatium XV. AVGVSTI extiterint. Taceo

B 2

XXVII.

XXVII. l. XXX. Tyrannos, qui a temporibus Valeriani
 et Gallieni, quo nihil prodigiosius passa est Respublica, Pollio in
 XXX. Tyrannis c. XXXI. vsque ad Aureliani aetatem Im-
 perium Rom. agitarunt. De quibus vid. Treb. Pollio in Li-
 bro de XXX. Tyrannis conscripto. Qui tumultuarii tantum
 Imperatores ac reguli erant. Idem in Claudio c. l. inter
 quos Marius quidam triduo tantum imperavit. Idem in XXX.
 Tyr. c. VIII. Regalianus in Illyrico ducatum gerens, etiam
 ioculari astutia IMPERATOR dici meruit, cum nomen Re-
 galiani a regno deduci audirent milites. ibidem c. X. Quin-
 tillus seu Quintilius frater Claudii II. septimadecima Im-
 perii die interemptus est, si Pollionis fidem sequamur in Clau-
 dio c. XII. * Alii imperio, eodem die, quo susceperunt illud,
 privati. Herodianus L. I. pr. Haec publica fata effecerunt,
 ut nonnunquam tacito Senatusconsulto Imperatores facti
 fuerint, de quo nusquam (vere dico) illustrius locus repe-
 ritur, quam apud Capitolinum in Gordianis c. XII. quod
 etiam forsitan intelligitur apud eundem, in Maximo et Balbi-
 no c. III. Pauci tum erant IMPERATORES de senatu. In-
 terdum etiam milites AVGVSTI titulum, quibus vellent,
 tribuebant. Ita post obitum Vindicis Rufum, licet recu-
 fantem, AVGVSTVM milites appellarunt: teste Dione apud
 Xiphil. in Ner. f. De Maximino sen. testatur Capitolinus c. VIII.
 quod ille nondum Senator sine decreto Senatus AVGVSTVS ab
 exercitu appellatus sit; idemque de Gordiano sen. apud eundem
 c. XIV. Malo huic mederi senatus omni conatu studuit.
 Itaque iam tum sec. III. ineunte, mortuo Vario Elagabalo,
 totius Imperii barathro, Senatus, quod insueverant milites,
 sibi Imperatores et tumultuario iudicio facere, et item facile mu-
 tare, afferentes nonnunquam ad defensionem, idcirco fecisse, quod
 nescissent, Senatum principem appellasse, ideo omnia potestatis
 insignia, ut jus proconsulare, potestatem tribuniciam, (quam iam
 Octavius perpetuam receperat. Svetonius in Oct. c. XXVII. Conf.

de
 * Vopiscus in Aureliano c. XXXVII. Quintillum vigesimo
 Imperii die periisse docet.

de his nominibus, et inprimis, quare eadem usurpârint Augusti, *Dionem L. LIII. m.*) ius item *quintae relationis*, una die Alexandro Severo detulit; quorum quaedam alii Imperatores distulerunt, et sero demum receperunt. *V. Lampridius in Alexandro c. I. et II. ipseque Alexander confirmat c. VIII.* * Pertinax quidem *sec. II.* exeunte, eadem uno die *recepisse* legitur *apud Capitolinum c. V.* sed tamen sibi potius ea *rapuisse*, quam a Senatu delata accepisse existimant Viri docti. Quorsum haec? Omnia eo collineant, ut Titus aequale cum Flavio in Imperio Romano ius ideo obtinuisse non sit censendus, quia in castris a militibus IMPERATORIS nomen accepit: Cum milites eo tempore in conferendo hoc nomine nimium sibi tribuere adsveti essent. Tanta est interdum nominis huius *usurpatio*, ut Aurelianus Tetricum Sen. quem captum postea Correctorem Italiae fecerat, *collegam, commilitonem, etiam IMPERATOREM appellasse* dicatur *a Pollione in XXX. Tyr. c. XXIV.* Nullum autem vestigium in monumentis historiae illorum temporum extat, quo Titum ante Flavii obitum AVGVSTVM appellatum esse ostendi queat. Et ex ipsis verbis Svetonii colligi potest, quod nunquam Flavius in animo habuerit, Titum in Imperii consortium asciscere; quin potius officium Titi et pietatem apud patrem in suspicionem venisse. Quamvis fateamur libenter, Titum, post reditum e Iudaea, multa honoris insignia una cum patre gessisse, et, *recepta ad se prope omnium officiorum cura*, multa patris auspicio egisse, eiusque nomine Epistolas, Edicta, et Orationes *Quaestoris vice* (candidati principis) confecisse. *V. Svetonius in Tit. c. VI.* Atque hac ratione *participem atque etiam Tutorem imperii egisse*, dicitur. Sic Mithreus Praef. Praet. Socer Gordiani III. cuius consiliis adiutus Gordianus multa, et inprimis bellum contra Saporem R. Persarum feliciter gesserat, in

B 3

titulo

* Probo etiam haec honorum insignia, pontificatu maximo et reverentia patris patriae additis, simul a Senatu delata. *V. Vopiscus in Probo c. XII.*



titulo honori eius extructo TUTOR REIP. vocatur. V.
Capitolinus in Gordianis c. XXVII. et idem fere de Philippo
Arabe *vid. c. XXIX.*

§. V.

Seculo ergo demum II. novo exemplo Imperium Ro-
manum DVOS AVGVSTOS vidit, M. AVRELIVM et
L. VERVM. Iam tum enim Adrianus mortuo Aelio Vero
Caesare L. Veri Patre, amitae Marci Galeriae Faustinae (*Ca-
pitolinus in Marco c. l.*) virum Antoninum Pium sibi suc-
cessorem adsciverat, et eodem tempore M. Aurelius postea
gener Pii (*Capitolinus in Pio c. l.*) et L. Commodus Verus
in Imperatoriam familiam transferunt. Ita enim inter
Adrianum et T. Antoninum, (qui primus Imperatorum
hoc nomen tenuit) convenerat, ut Antoninus Marcum
et Verum sibi adoptaret. Quo factum, ut Marcus pro
Annio AVRELIVS coeperit appellari. Nam antea bis di-
versis temporibus *Annius Verus* dictus est, primum Iustrico
die, ut explicat verbum Capitolini, *principium V. C. Casau-
bonus*; et deinde *post virilem togam*. * Et cum iam Augu-
stus esset, adhuc *Verus* appellatus videtur. V. *Hieronimus in
Interpretat. Can. Chron. Euseb. ad A. CLXI.* ab ipso *Eusebio L.
IV. H. S. c. 13.* οὐνόμος, nullo alio addito nomine appellatur.
*Ios. Scaliger tamen in Animadvers. ad Chron. Euseb. p.
202. Verum appellatum negat. Add. Eutropium, L. VIII. m. Euse-
bium L. IV. H. E. c. 14. & L. V. c. 1.* *Catili* etiam *Severi* pro-
avi materni nomen, ab illo adoptatus tenuit. V. *Capit-
olinus in Marco c. l. et V. et in Vero Imp. c. II. et III. Conf. m.
Spartianus in Aelio Vero c. VI. in Severo c. XX. et Capitolinus in
Pio c. IV.* Capitolinus minus sibi constat, aut saltem difficul-
tate aliqua rem implicat, cum *in Marco. c. V. et Vero c. II. L.
Verum a Marco adoptatum fuisse indicat, et tamen in Pio
l. cit.*

* *Verissimi nomen etiam patre mortuo ab Adriano accepit.
Eusebio in Chron. ad A. CXLVII. οὐνόμοσος dicitur;
Add. Hieronymum, ibid. Conf. Eusebium, L. IV. H. E.
c. 12.*

l. cit. veriore cum *Spartiano l. cit. et in Adriano c. XXIV.*
 sententiam tuetur. *Spartianus in Vero Caes. c. V.* dicens,
 secundum lectionem vulgarem: *Eius (Aelii Veri) filius est*
Antoninus Verus, qui adoptatus est a Marco: suam ipsius sen-
 tentiam refutare videtur, quam declarat *c. VI.* Sed locus
 dubius, legendumque iudicio doctissimorum Virorum:
Qui adoptatus est a Marco, vel certe cum Marco: et cum eo-
dem etc. Quam lectionem etiam approbat *Salmasius*, qui alias
 magno studio a *Casaubono* dissentit. Quomodo enim *Verus*
Frater Marci ab ipso *Capitolino*, ut in *Marco c. VIII. etc.* et
 aliis multis Scriptoribus ἀξιοπίστοις dici, et in *Codice atque*
Pandectis decies fere aut amplius *Marcus et Verus DIVI*
FRATRES * appellari possent, nisi adoptionis iure id fa-
 ctum fuisse dicamus. Forte ideo *Verus* quibusdam a *Mar-*
co adoptatus dicitur, quia ab eodem variis dignitatibus
 admotus, et in ipsum Imperii consortium ascitus est. No-
 mina etiam *VERI* et *ANTONINI* tanquam a patre acce-
 pit. *Capitolinus in Marco c. VII.* Filius certe *Marci* a quibus-
 dam etiam habetur: Et *Verus* ipse in Epistola ad *Marcum*,
Titum Antoninum suum vocat *avum*; *Gallicanus in Cassio*
c. I. Item *Marcus* in Epistola ad *Verum Adrianum* *proa-*
vum *Veri* dicit, quem tamen paulo post *avum* appellat. *c. II.*
Marci enim gener *Verus* erat. Ita *Misitheus* focer *Gor-*
diani III. scribens ad *Gordianum*, *filium* eundem dicit.
Capitolinus in Gordianis c. XXVI. et *Gordianus* in Epistola ad
Misitheum *patrem* eundem appellat. *c. XXV. conf. c. XXVII.*
 Sane nomen *parentis* interdum etiam *cognatum* significat:
 ut apud *Fl. Vopiscum* in *Aureliano c. XXXI.* Saepe etiam qui
 alterum aetate, auctoritate et consiliis superabat, *filium*
 eundem appellare solebat, praesertim si sanguinis propin-
 quitas intercederet. Sic *Cl. Pompeianus* gener *Marci* apud
Herodianum L. I. p. *Commodum* iam Imperatorem, sed iu-
 venem.

* *Theophilo* *Instit. de excusat. tit. οἱ θειότατοι ἀδελφοὶ* dicun-
 tur: hunc locum etiam adduxit, correxitque *Scaliger* in
Animadv. ad Euf. p. 202.

venem adhuc τέκνον appellabat, addita tamen δεσπότης appellatione. Sed de hoc satis. Ceterum Pius, cum finem vitae propius abesse sentiret, Marcum amicis diligenter commendavit, et ut successorem firmavit: atque, ut eo magis consilium suum ratum esset, Fortunam auream, quae in cubiculo solebat esse, ad Marci cubiculum transire iussit. V. Capitolinus in Marco. c. VII. et in Pio c. XII. De hoc simulacro Conf. etiam Spartianus in Severo c. XXIII. ubi fortunam regiam appellat.

§. VI.

L. vero Ceionius Aurelius Commodus Verus Antoninus, (haec enim omnia nomina habebat) ut ante indicatum, patrem naturalem habuit L. Ceionium Commodum Aelium Verum* ab Adriano adoptatum, quamvis esset. Nigrini gener, qui aliquando Adriano sacrificanti insidias fecerat. V. Spartianus in Adriano c. VII. et XXIII. Hic Aelius Verus ideo maxime memorandus est, quod primus CAESAR est dictus, et in eadem statione constitutus periit. Capitolinus in Vero. c. I. Quae verba illustranda ex loco Spartiani in Vero c. II. Nihil habuit, de eodem inq̄uentis, in sua vita memorabile, nisi quod tantum CAESAR est appellatus; et paulo post dicit, quod hoc solum nomen adeptus sit. Tunc vero nomen CAESARIS non quidem novum, sed renovatum (propter Caium et Lucium, et alios) honoris genus denotabat. Ut CAESARES dicerentur designati Augustae maiestatis heredes. Spartianus l. c. Tum enim plenam AVGVSTAE maiestatis dignitatem designat, quando IMPERATORIS aut AVGVSTI nomen adiectum est, Quamquam Plinius L. VII. H. N. c. 49. Imperatores CAESARES Vespasianos censors** censuram

* Apud Eusebium L. IV. H. E. c. 12. Lucius Verus Marci Φύσει υἱός dicitur: et c. 14. Commodi frater. conf. etiam c. 16. Quod παρόγαμα vel ab ipso vel Librariis commissum, quae ratione excusari queat, alii excutiant.

** Ita etiam appellantur a Capitolino in Marco c. I.

suram egisse dicit: Cum tamen Titus tunc temporis Augustam maiestatem nondum obtineret. Quod *Plinius* sine dubio *ἐξοχικῶς* de Flavio intelligi voluit. Titum autem adiunxit, quia plerorumque negotiorum curam una cum patre tum agebat, particepsque iam Imperii quodam modo erat. Illud autem in Aelio Vero insolens accidit, quod tantum ad CAESARIS dignitatem pervenerit, ideoque *Is. Casaubonus* loco prius c. Spartiani addendum esse censet τὸ *primus*, ut legatur: *nisi quod primus tantum* etc. Adde etiam illud, quod, ut observat quoque Spartianus, Verus non testamento, ut antea solebat, neque eo modo, quo Traianus est adoptatus, sed eo prope genere, quo a Diocletiano Maximianus et Constantius Caesares dicti sunt, nomen illud obtinuit. Non autem solum CAESARIS appellationem, sed etiam praeter imperium, externam quandam speciem, imo insignem splendorem eidem adiectum fuisse, colligitur ex Epistola familiaris Commodi ad Clodium Albinum ea de causa, ut Caesarem eum faceret, data, quae habetur in Albini vita, quaeque vulgo *Capitolino* tribuitur, c. II. conf. etiam c. VI. et XIII. Vbi facultatem Clodio concedit *utendi coccinei pallii*: item, *habendi purpuram, sed sine auro*: quia eadem etiam proavus, vel, si mavis cum *Casaubono* legere: *pro patruus* Verus ab Adriano acceperit. Conf. *Capitolinus* in *Gordianis* c. XXII. refert Gordianum III. in concione positum, indumento Imperatorio tectum, CAESAREM appellatum fuisse. Et mortuo Aelio Vero, Adrianus *statuas colosseas*, (quae Diis et Imperatoribus tantum ponebantur) *per totum orbem* poni iussit, *templaque in nonnullis urbibus fieri*. Spartianus in *Vero* c. VII. Quamvis ob valetudinem eius adversam, aut, quod inutilem imperio censeret, eundem a familia Imperatoria amovere voluisse, ex multis documentis colligere liceat: praefertim ex eo, quod, cum mortuo hoc Aelio Vero Amici, de successore solliciti essent, Adrianus dixit: *Etiam vivente adhuc Vero decreveram*. Spartianus in *Vero* c. VI. Hinc ibidem dicit *Auctor*, quod Adrianus Veri mortem doluerit, ut

C bonus

*bonus princeps, non ut bonus pater.** Ceterum Verus Antoninus post adoptionem, *Aelii* nomine deposito, AVRELLII assumisse videtur. Ita vocatur a *Spartiano in Vero c. II. Conf. in primis Capitolinus in Marco c. VII. item Eusebius in κατ. χρον. A. CLXI. Hieronymus in Interpret. Nec obstat, quod, mortuo Vero Caesare, filius in familia Adriani remansisse dicatur. Spartianus in Vero c. VII. Capitolinus in Vero Imp. c. II.***

§. VII.

Non adoptione autem solum, et genere, sed etiam affinitate et consanguinitate M. Antoninus, et L. Verus coniuncti fuere. Et iam tum Adrianus ea lege Verum in familiam regiam ascisci voluerat, ut Pii filiam Anniam Faustina, *Αδριανῶς ἐκγονον κατὰ Σηλυγονίαν. Herodianus L. I. p.**** uxorem duceret. Sed post obitum Adriani Pius alia conditione proposita, per uxorem suam Galeriam (Anniam) Faustina Marcum eo deduxit, ut ipse filiam suam in matrimonium acciperet: quia L. Verus impar aetate ad hoc matrimonium visus est. *V. Capitolinus in Vero c. II. et in Marco c. V. item: Spartianus in Aelio Caes. c. VI. Aliter statuere, imo a se ipso dissentire videtur Capitolinus in Marco c. XVI. vbi asserit, Adrianum Generum Marcum Pio delegisse: quae verba forte corrupta, aut male intrusa esse videntur: sane cum prioribus connecti commode non possunt. Ceterum traditur ab eodem c. IV. Marco statim, postquam virilem togam sumsit, Ceionii Commodi filiam desponsatam esse ex Adriani voluntate. Si coniecturam Casauboni sequi debemus, Veri Caesaris filia Fabia intelligenda: de qua idem c. XXIX. memorat, enisam fuisse, ut Faustina mortua, in eius (Marci) matrimonium coiret, V. Casaubonus h. l. Meminit huius Fabiae etiam in Vero c. X. et in Pertinace c. X. Illud*

explo-

* *Sequimur lectionem, Cl. Salmasii. Alias inversa plane ratione verba combinata sunt: Sensu etiam non alieno.*

** *Alibi ut ab eodem in Vero c. I. et Petavio AELIVS dicitur.*

*** *Confobrinam Marci. Eutropius L. VIII. m. qui eandem Valeriam Faustina dicit.*

exploratum perspectumque habemus, L. Verum Augustum Marci filiam, natu maiorem, (complures enim habuit, *Herodianus L. I. p*) Lucillam nomine duxisse, iam post communicatum Imperium. *V. Capitolinus in Marco c. VII. et IX. et in Vero c. VII. et IX. conf. Dio apud Xiphil. in Marco p* Item: *Herodianus l. cit.* qui addit, quod Marcus hoc modo. *δεσποῦν εὐνοίας ἰσχυρώτατον τὴν πρὸς αὐτὸν ἐπιγαμίαν ἐποίησατο. Conf. Entropius L. VIII. m.*

§. VIII.

Pio itaque apud Lorium, * (villam ubi educatus fuerat. *Capitol. in Antonino c. I.*) A. CLX. ** defuncto, Marcus, urgente Senatu, imperium invitus suscepit, atque Verum fratrem socium Imperii ascivit, *data tribunitia potestate, et proconsulatus honore delato. (Capit. in Vero c. IV.)* nomenque CAESARIS et AVGVSTI cum eodem communicans, quod ipse nomen CAESARIS iam a Pio delatum accepisset. (*Capitol. in Marco. c. VI.*) Ex quo tempore *pariter Rempublicam rexisse leguntur. Capitolinus in Marco. c. VII.* ubi etiam addit: *Tunc primum Romanum Imperium DVOS AVGVSTOS habere coepit, cum id nemo ante ipsum cum alio participasset. *** Conf. idem in Vero c. III. participatum (ita legendum) Imperatoriae potestatis a Marco Vero indultum, asserens: nec non Spartianus in Adriano c. XXIV. Hi, inquit, Marcus et Verus DVO pariter AVGVSTI primi Rempublicam gubernarunt. Herodianus L. I. p. confirmat, Marcum κοινῶν τῆς βασιλείας L. Verum fecisse docens. Item Dio apud Xiphil. in Marco p. asserit, qui hanc communicatae MAIESTATIS causam addit, quod Marcus ad res gerendas*

* *Aurelius Victor*: Lorios. Laurium etiam dicitur.

** Teste Eusebio in *κατ. χρον.* H. A. Confirmatque Hieronymus in *Interpret. It. Petavii de Doctrina Temporum. L. XII.*

*** *Locus fere desperatus est, cuius sensum ita replet Casaubonus, a quo tamen, ut fere semper dissentit Cl. Salmasius,*

rendas minus validus, studio autem philosophiae maxime deditus fuerit. Lucius contra robustus esset. Praesertim cum multa gravia negotia expedienda, motusque multi faciendi essent. Hinc Marcus bello Marcomannico *ambos necessarios* dicit *Imperatores. Capitol. in Marco. c. XIII.* * Egregium documentum de hac divisa Imperatoria potestate reliquit *Spartianus in Vero c. V.* affirmans, horum Imperatorum *fastis consularibus sic nomina praescripta fuisse*, ut non **DVO ANTONINI**, sed **DVO AVGVSTI** dicti fuerint: *tantumque hujus rei et novitatem et dignitatem valuisse, ut fasti consulares nonnulli ab hoc sumerent ordinem consulum, Conf. etiam Eutropius L. VIII. m. et Aurelius Victor L. de Caesaribus.* Hanc *duæxiav* egregie confirmant Numi. Duos allatos vide *apud Ios. Scaligerum in Animadv. ad Euseb. p. 202.* Ceterum, simul cum communicato imperio Marcus L. Commodus **VERI** atque **ANTONINI** nomina contulit; cum Marcus etiam ipse post divisum Imperium **ANTONINI** nomen recepisset. *V. Capitolinus in Vero. c. I. et IV. et in Marco c. VII.* Ne mireris, L. Commodum, accepta Augusta dignitate, demum **VERVM** appellatum dici, cum *Veri* filius esset. Ipse Marcus, ut ante dictum, **VERVS** post virilem togam sumptam dicitur, licet *Annii Veri* filius fuerit. Denique quod ad **ANTONINI** nomen attinet, verisimile est, Marcum et Verum etiam illud post adoptionem iam accepisse. *Spartianus in Severo c. XX. Idem in Geta c. II.* Marcum nomen **ANTONINI** adoptivum habuisse dicit. *Conf. verba Alexandri Severi apud Lampridium c. X.* Tenendum praeterea, Marcum **ANTONINI** appellationem tenuisse, ut *nomen verum*, quod diserte asserit *Lampridius in Diadumeno c. VI.*

non,

* Sic *Valeriano a Persis capto, cum Gallienus mollis Rempublicam perderet, iuvenes duos vel tres fortissimos, non unum quaerendos doebat Macrianus senex, qui Romanum Imperium, variis calamitatibus afflictum restituerent.* *V. Treb. Pollio in XXX. Tyr. c. XII.*

non, ut cognomen, sicut prioribus, nec ut praenomen, ut posterioribus temporibus consuetum erat.

§. IX.

Hi ergo DVO illi sunt ANTONINI, quos insigne Severo morituro laetitiae argumentum praebuisse, ex Aelio Mauro Pblegontis Tralliani liberto testatur Spartianus c. XX. cum et ipse duos Antoninos, Bassianum et Getam, ex se genitos Reipublicae relinqueret. Nomen autem ANTONINI in Marco, Casauboni, sententia velut Symbolum Imperii esse coepit. Et Marcum hoc sanctum ANTONINI nomen vitae genere auxisse; Verum autem degenisse, (dedecorasse) * ex versibus cuiusdam poetae indicat Capitolinus in Opilio Macrino c. VII. Factum hinc, ut magno postea studio nomen ANTONINI iis, qui successuri erant, sit tributum. Spartianus in Severo c. XII. scribit, Severum Bassiano, una cum Caesaris nomine, ANTONINI etiam nomen imposuisse; et Getam simul ANTONINVM, dictum, ut ipse succederet in imperio. Conf. etiam in Geta c. I. Capitolinus in Macrino c. III. Lampridius in Diadumeno c. VI. Imo Spartianus cit, Lib. c. XIX. de Severo dicit, eum ANTONINI nomen omnibus quasi AVGVSTI ascribendum putasse: quod iterum confirmat in Geta. c. II. Sic Alexandro Severo acclamabatur inter alia a Senatu: Quomodo AVGVSTVS, sic et ANTONINVS: teste Lampridio in Alexandro c. X. Et milites magno gaudio ac applausu hoc ANTONINI nomen prosequerentur. Spartianus in Caracallo c. VIII. dicit, Diadumenum Macrini, qui post Caracallum imperavit, filium, ANTONINVM appellatum, idcirco, quod a praetorianis multum desideratus est ANTONINVS. et c. sequ. IX. statim adiicit: Ita nomen ANTONINORVM inolevisse, ut velli ex animis hominum non potuerit, quod omnium pectora velut AVGVSTI nomen obsederit. Illi etiam, qui ANTONINI nomen acceperunt, hoc quoque nomine dignos se esse videri volebant. Ita Diadumenus pro concione promittit, se

C 3

* V. S. Imasius ad h. l. et ad Capitolinum in Vero c. X. ad verba, vultu geniatus.

elaboraturum, ne desit nomini ANTONINORVM: sciens perdifficile esse nomini Pii, Marci, Veri satisfacere. Lampridius in Diadum. c. II. et in Epistola, quam c. VII. affert idem Auctor, optat Macrinus, ut Diadumenus ANTONINI meritum effingat. Quare Macrino, qui cum filio Diadumeno in concionem processerat, acclamatum: ANTONINVM habemus, omnia habemus: c. l. Ingens quippe, occiso Antonino, (Basiano) moror obsedit omnium pectora, quod ANTONINVM in Republica non haberent, existimantium, quod cum eo Romanum imperium esset periturum. l. cit. Capitolinus in Macrino c. III. Hinc Basiano non tantum pueri Antoniniani, et puellae Antoninianae, quod honoris genus etiam antea multis vicibus delatum fuerat; sed et dies septem supplicatio pro ANTONINI nomine celebrata est. Lampridius in Diadum. c. II. et III. Et teste Lampridio eodem in Elagab. c. l. hoc nomen adeo clarum erat gentibus, ut etiam parricida Basianus causa nominis amaretur. Et Auctor ipse vitae Diadumeni illud praecipue se ad scribendam eius vitam impulisse significat. c. l. et VI. quod ANTONINI nomen adeptus fuerit. Ceterum de ANTONINI nomine illud etiam observari meretur, quod Iulius Capitolinus in Macrino c. III. dicit: ab ipsis Antoninis, qui veri successores Antonini (Pii) fuerunt, hoc nomen magis, quam proprium retentum est. Quid multa? Divinam quandam vim nomini ANTONINI inesse, illis temporibus homines credebant. Multi etiam deorum nominibus illustrius esse censebant. Lampridius in Diadum. c. VII. Clarius nomine ANTONINI illis temporibus non fuit, vel deorum: pauloque post: ANTONINOS pluris fuisse, quam deos, ob trium Principum amorem, quos Sapia, (in Marco) bonitas, (in Vero) Pietas (in Antonino, huius nominis Auctore) consecrata sit. Ex his patet, quanta omnium veneratio et pietas subsecuta sit praeclarissima ANTONINORVM (in primis Marci) merita, ut sancta animi aestimatione nomen illud ANTONINI ut AVGVSTI omnes sec. adhuc III. ineunte coluerint.*

Finis

* Ita legit Salmasius: pro consecraverit.

Finis enim ANTONINI nominis in Elagabalo fuit, teste Lampridio in eodem c. XXXIII. Quamvis hic ANTONINVS tam vita falsus fuerit, quam nomine. Conf. Capitolinus in Marcrino c. III. Lampridius L. cit. c. XVI. et XXXIV. expresse ultimum Antoninum vocat. Magno providebant studio, ne sanctum illud nomen a quoquam violaretur, aut pollueretur. Haec nominis ANTONINI veneratio fecit, ut cum Elagabalus, * hoc nomen foede pollueret, illudque affectato retineret, idem Senatu iubente erasum sit ex Annalibus, remanserintque Varii Elagabali nomina: teste Lampridio in Elag. c. XVII. et XVIII. et in Alexandro c. I. ut eidem subditius Antoninus dicatur c. cit. XVII. in Elagab. Huc pertinent etiam acclamations fenatus, quibus nomen ANTONINI ab Elagabalo infamatum, ab Alexandro purificandum, iniuriarumque, Marco, Vero etc. hac ratione facta vindicanda indicatur. Habentur illae apud Lampridium in Alexandro c. VII. Conf. etiam ea, quibus Alexander, pius, sanctus utilisque Reipublicae Imperator, ANTONINI Magnique nomina, tanquam insignia onerosa, assumere recusat: apud eundem c. VIII. IX. X. et XI.

§. X.

Sociatam horum DVORVM AVGVSTORVM potentiam ita comparatam fuisse, statuendum est, ut nihilominus summa rerum, summumque arbitrium et plenum Augustae maiestatis ius, apud alterutrum (Marcum) fuerit. Varia tamen pacis bellique negotia (saltem secundum externam speciem) simul administrasse, graves bellorum motus compressisse, et honorum insignia aequaliter participasse, leguntur. Sic statim sumta purpura pariter castra praetoriana solenni recens creatorum AVGVSTORVM ritu petiverunt: teste Capitolino in Marco. c. VII. Quo pertinet, quod ibidem memoratur, vicena millia nummum singulis

* Qui fato quodam Romanum deformavit imperium. Lampridius in Diadumeno extremo, cui etiam in Elagab. c. XXXIV. et in Alexandro c. II. Clades dicitur.

gulis ab participatum imperium militibus promississe: et ceteris pro rata. Haec enim novorum Imperatorum consuetudo fuit, quae largiendo militibus pecunias, velut *μεγαλόφρονι ἐπιδόσει* (Politianus: *autoramento*) *ᾠκείωσαν τὸ στρατεύμα.* ut loquitur Herodianus L. I. p. Varia mala, ut Tiberis inundationem, famem gravissimam, sub initium imperii, a DIVIS FRATRIBVS accepti, ingruentia laudabilis sua cura temperarunt. Bellum etiam Parthicum ambo gubernarunt: cum Verus ipse in Syriam profectus *per legatos idem gereret*: Marcus autem Romae omnia, quae ad bellum erant necessaria, disponeret et ordinaret, Capitolinus in Marco. c. VIII. Nisi velis verbum mitti, quod de Vero l. cit. adhibet Capitolinus, in solenni significato accipere, quo de Proconsule, in provinciam eunte, adhibetur: Quamquam Auctores illi Historiae Augustae minores voces saepe latius extendant, neque proprietates earum accurato studio observent. Ad Bellum Marcomannicum seu Germanicum, quod magnum terrorem iniecerat Romanis, *ambo Imperatores paludati profecti sunt Aquileiam usque; et longius etiam processerunt, composueruntque omnia, quae ad munimen Italiae atque Illyrici pertinebant.* c. XIV. Quam expeditionem Marcomannicam etiam mortuo Vero persecutus est acriter Marcus c. XVII. Leges etiam hi DIVI FRATRES quamplurimas sanxerunt, quas hinc inde in Legum Pandectis legere licet. Legum sepeliendi sepulcrorumque meminit etiam Capitolinus in Marco. c. XIII. Rebus vero in Armenia compositis, *Parthici, Armeniaci, Medici* nomina ambo receperunt: quamvis Marcus aliquamdiu ea repudiaret. Et cum Marco *patris patriae nomen,* * *fratre absente, delatum esset in eiusdem*

praec-
 * De hoc nomine elegans est locus, apud Appianum L. II. Εμφουλ. p. δοκεῖ τισιν ἀπὸ κικέρωνος ἀρξάμενον περιελθεῖν εἰς τῶν νῦν αὐτοκρατόρων τὰς φανομένους ἀξίας. ἔδὲ γὰρ τοῖςδε καίπερ ἔσι βασιλεῦσιν εὐθύς ἀπ' ἀρχῆς ἅμα ταῖς ἄλλαις ἐπωνυμίαις, ἀλλὰ σὺν χρόνῳ μόλις ἤδε ὡς ἐντελής ἐπὶ μεγίστοις δὴ μαρτυρία ψηφίζεται.

*praesentiam distulit. Coronam civicam ambo receperunt, si-
mulque triumpharunt. c. IX. et XII. et in Vero c. VII. et VIII.
Post mortuum tamen Verum, hunc tantum Parthicum; Ger-
manicum se vocavit, ut cit. c. XII. in Marco testatur Capitol.* De-
nique cum ad deducendam filiam suam Lucillam, Marcus
Brundisium usque profectus esset, et in animo haberet,
eamdem in Asiam usque comitari, revocatum eorum sermoni-
bus Romam rediisse, memoratur c. IX. qui dicebant, Marcum vo-
luisse finiti belli gloriam sibi vindicare.*

§. XI.

Non vero, ut iam monui, temere asserendum, quod
Verus Augustus eadem, et exaequatam cum Marco, pote-
statem in omnibus, cuiuscunque generis fuerint, negotiis
exercuerit; inprimis sub initium susceptae invicem Au-
gustae dignitatis. Quid? *Capitolinus in Vero c. I. aperte di-
cit, eum non vixisse in libero principatu, sed sub Marco.** Sta-
tim tamen adiicit idem: in simili ac pari maiestatis imperio.
Sane principio Imperii Verum, praeter AVGVSTI nomen,
nihil fere reliquum habuisse, colligitur ex firmo documen-
to, quod suppeditat Capitolinus in Vero c. IV. qui satis perspi-
cue Lucius, inquit, Marco vicem reddens, (pro concessis maxi-
morum honorum nominibus) si susciperet, *** obsecutus, ut
Legatus Proconsuli, vel Praefes Imperatori. Quibus verbis
manifesto indicatur, quod Verus initio principatus sui non
tam pro Imperatore Augusto, quam pro Proconsule aut Prae-
sede, se gesserit: idque sponte, reverentia et pietate erga
Marcum fratrem ductus, fecerit, quamvis Augustam digni-
tatem*

* *Hoc Nummi confirmant. In iis plerumque Verus Parthicus,
Marcus Germanicus, aut Sarmaticus dicitur. Veri num-
mum affert Casaubonus ad Capitol. in Marco. c. XV.
De Marco vero vid. apud Josephum Scaligerum ad Eu-
sebiu[m] p. 205.*

** *Salmasius legendum censet in SVO libero etc. quod minus
forte dictum fuisset a Capitolino,*

*** *Ita cum Salmasio legimus,*

tatem communicatam accepisset. Nec minus illustri testimonio hanc rem idem *Capitolinus* l. c. firmat, Marcum statim post initum ab utrisque imperium, pro ambobus ad milites fuisse locutum pro consensu in imperio, (gratias agentem) asserens, statimque annectens, Verum graviter se ad Marci mores egisse. * In concionem autem prodire, et loqui ad milites, proprium **AVGVSTORVM** munus apud veteres Romanos erat, uti e documentis veterum satis liquet. Sic a Julio Serviano affectati imperii suspicionem, ab Adriano conceptam, illud inter alia auxisse legimus, quod ad stationes militum processisset. *V. Spartianus in Adriano c. XXIII.* Et Commodum occiso a Laeto Praef. praet. et Electo cubiculario, Helvius Pertinax in castra deductus, milites est allocutus. *V. Capitolinus in Pertinace c. IV.* Prodire ad milites interdum etiam de iis dicebatur, qui Caesaris nomen assumerent. *Conf. Epistola Commodi ad Clodium Albinum scripta, hortantis eundem, ut ad milites prodeat, et sibi Caesareum nomen assumat.* Habetur eadem apud *Capitolinum in Albino c. II.* Antoninus Diadumenus, cum antea in concione, ferente patre, accepto Antonini nomine, **IMPERATOR** factus esset, pro concione, ut gratias pro accepto, una cum Antonini nomine, imperio ageret, dixisse dicitur, a *Lampridio in Diadumeno c. I. et II.* Ita mortuo Marco, (in promptu enim exemplum habemus,) Commodum Amici adduxerunt, ὡς διαλεχθεῖν τε τοῖς στρατιώταις. *Herodianus L. I. pr.* Tale quid etiam vid. apud *Lampridium in Alexandro c. XLVIII.* De Gordiano III. *Capitolinus in Gordianis c. XXX.* Sic de Zenobia Viragine illa tanquam Imperii signum memoratur, eam conciones viriliter frequentasse: teste *Pollione in XXX. Tyr. c. XXVII. et c. XXX. ad conciones, inqviante, galeata processit.* Sed redeamus in viam. Praeterea Marcus multas leges solus

*. Dolendum locum hunc inquinatissimum et mutilum aliquot verborum defectu laborare: sine dubio enim Auctor plura argumenta adiecerat: fatentibus, nec tamen medicinam adhibentibus, Salmasio et Casaubono.

lus per se praescripsit, iuraque varia constituit, ut circa *libe-
rales causas*: *Capitolinus in Marco c. IX. res iudicarias, aliaque.*
c. X. XL. De Vero nihil horum legimus. Huc etiam referri
potest, quod Capitolinus in Marco c. VIII. et in Vero c. IX dicit,
Verum paulo post sumptum Imperium, a Marco ad bellum Par-
thicum MISSVM fuisse. Mitti enim secundum solennem
veterum Romanorum morem de Proconsulibus, in provin-
cias destinatis, dicebatur. Licet cum illis acriter pugnare
nolimus, qui ἀκριβολογίαν heic a Capitolino non fuisse obser-
vatam, sed in latiori significatione mittendi vocabulum
adhibitum contendant. Qua etiam ratione eundem Capi-
tolinum accepisse σοχαστικῶς affirmare liceat in Gordianis. c.
XV. Cum Gordianum seniore, filium (utrosque AV-
GVSTOS a Senatu in Africa constitutos) contra Cape-
lianum et Maximinianos misisse dicit. Illud tamen aliquid
ad nostram firmandam sententiam momenti conferre cen-
femus, quod Marcus Veri uxorem Lucillam AVGVSTAM
AVGVSTAEQVE filiam, post mortem Veri, non decurso
lucius tempore, Claudio Pompeiano, Equitis Romani filio, nec satis
nobili dedit. Capitolinus in Marco c. XX. Herodianus quidem
L. I. m. testatur, id μερόντων τῆ λεικίλλη τῆς βασιλείας συμβό-
λων factum esse. Adde etiam, quod Commodus ἐφύλατῆς
τιμὴν τῆ ἀδελφῆ. pergiteque: καὶ γὰρ ἐπὶ τῆ βασιλείᾳ θρόνῳ
καθῆτο, καὶ τὸ πῦρ προσπόμπευεν αὐτῆς. Ignis praecipuum
AVGVSTI AVGVSTAEQVE insigne. Herodianus (nul-
lus enim fere tam egregie de hoc igne notavit) L. cod. circa
fin. narrat, quod Martia παράκοιτις Commodi πάντα ὑπῆρ-
χεν, ὅσα σεβαστῆ, πλὴν τῆ πυρός. Omnino vero Marcus hac
ratione AVGVSTAE dignitatis, quam cum Vero habue-
rat, vix rationem duxit. Itaque has nuptias et ipsa,
(Lucilla,) et Faustina, (mater,) invitae habuerunt. Capitoli-
nus l. c. Ceterum de obscuro huius Pompeiani genere, te-
statur Faustina in Epistola, defectionis Cassianae ergo ad ma-
ritum missa, quam profert Gallicanus in Cassio c. X. in qua
illum peregrinum appellat. Commodi tamen tempore

magnam auctoritatem et dignitatem obtinuisse, ex sermone illo liquet, quo Commodum adhortatur, ne ad patriae delicias reverteretur, *apud Herodianum L. I. p.* et, ut addit paulo post, *idem auctor: διετρεψε πρὸς ὀλίγῃς τὸ μεράκιον.* Hic est Claudius ille Pompeianus, cuius filius, facta una cum Quadrato et Lucilla conpiratione, *ingressus est ad Commodum*, ut eum interficeret. *Lampridius in Commodo c. IV. V. Dio apud Xiphilinum* cum eo sentit, qui Commodi aetate floruit. Dubito, an *Herodianus L. I. m.* verum dicat, qui ea, quae *Lampridius et Dio*, Pompeiano, cuidam Quintiano tribuit. Hic Pompeianus deinde a Caracallo interfectus est: teste *Spartiano in Caracallo c. III.* Videtur autem falsus esse *Lampridius*, qui *in Commodo c. IV.* hunc Pompeianum Marci nepotem a Commodo occisum dicit. In eo certe fallitur, quod patrem huius Claudium Pompeianum, Lucillae maritum ab eodem Commodus e medio sublatum statuit. *c. V.* Occiso enim Commodus, et Pertinace, iam Imperatore et Augusto etiam a populo et militibus appellato, (*Herodianus L. II. p.*) Claudius Pompeianus adhuc vivebat. *V. Capitolinus in Pertinace c. IV.* Lucilla certe a Commodus in exilium acta, *Lampridius c. IV. et occisa. c. V. conf. Herodianus L. I. p. m.*

§. XII.

Illud vero in horum DVORVM AVGVSTORVM historia omnium gentium animos ad admirationem et stuporem traducere potest, quod illi, qui natura, ingenio, moribus et affectibus maxime a se disiuncti erant, tam aequo placidoque animo (saltem apertis odiis nunquam divulsi.) AVGVSTAM dignitatem per X. aut XI. fere Annos pariter administrarint: cum nihil magis animos, etiam morum et affectuum similitudine coniunctos, ad acerbitates et odia immania, quam sociatum duorum aut plurium imperium, inflammet.

§. XIII

Sane MARCVS ANTONINVS, generis antiquitate paucis inferior, quippe originem familiae ad Numam referens

ferens, (*V. Capitol. in Marco. c. l. Eutropius L. VIII. m.*) vario doctrinae genere ceteris longe antecellit. Et praeclara quidem naturae indole, non magistrorum tantum ductu et auspicio, impulsus, ad virtutis et artium studia aspirabat. Nec solum magno desiderio ad omnes philosophiae partes ferebatur; sed etiam felices in iis successus habuit. Statim primos pueritiae annos egressus maximis ea aetate Doctoribus se tradidit: Audivit in Grammaticis, multos; Oratoriis, imprimis Herodem Atticum Consularem Virum, uti appellatur ab *A. Gellio. L. IX. Noct. Att. c. 2.* Philosophia, tam Stoica, Apollonium Chalcedonium,* qui Casauboni iudicio rectius Chalcedicus vocatur; in Pio etiam a Capitolino Chalcide vocatus dicitur *c. X. Eutropio tamen L. VIII. m.* quoque Chalcedonius dictus: quem Dio apud Xiphilinum in Marco f. Nicomedeum dicit: Iunium item Rusticum: In Peripatetica, Claudium Severum. Operam etiam navavit Maximo Tyrio, Arriano Nicomediensi, Basilidi Scythopolitano aliis. Item in Iure summos audivit Magistros: etiam cum **AVGVSTVS** iam esset, in iure distando Scaevola praecipue usus: Capitolinus in Marco *c. XI.*** Recensentur autem studiorum Marci moderatores ab ipso Marco in Libris πρὸς ἑαυτὸν scriptis, Capitolino in Marco *c. II. et III. Eutropio Hist. Rom. L. VIII. m.* ut et Dione *l. cit. Eusebio et Hieronymo ad A. C. CXLVII. Petavio ad A. eund. Capitolinus c. cit. II.* memorat, Marcum Antoninum etiam Commodum, cuius ei affinitas fuerat destinata, magistro usum fuisse: ubi L. Ceionium Commodum

D 3

modum

* Eusebius ad A. C. CXLVII. appellat eum χαλκηδόνιον; Hieronymus in Interpret. ad eund. A. Chalcedicum. Cur autem Dio appellet eum Νικομεδέα, non liquet; Ipse Ios. Scaliger; ad Eusebium p. 202. se nescire fatetur. Dion. Petavius Chalcedicum quoque appellat de Doctr. Temp. L. XIII. ad A. C. CXLVII.

** Iuris scientiam in Marco arguunt ea, quae de legum ambiguis distinctis, et iure omni ex parte emendato, memorant Capitolinus, Aurelius Victor, alii.

modum Caesarem, patrem Antonini Veri, intelligi posse, ex eodem Capitolino in Marco. c. IV. Salmasius aliter: ubi legitur haec verba: *Viril. m togam sumsit XV. aetatis anno, statimque ei L. Ceionii Commodi filia desponsata est.* Quamvis multi doctissimi Viri, praecunte Cl. Salmasio dubitent, num verum sit, quod a Capitolino dicitur, Marcum Commodo praecptori operam dedisse, cum de affinitate illa nusquam, praeter adductum locum, mentio fiat, ipseque Marcus in *Libris suis*, recensens omnes, quos studiorum moderatores habuit, nullum hac de re vestigium relinquat. Nisi forsitan dicere velis, ipsum Antoninum Verum intelligendum esse, cum Marcus ipse *ὄνιγς ἀδελφῶν* mentionem iniiciat, L. I. de vita sua: quem locum etiam Salmasius ad l. cit. Capitolini affert. Sed de hoc nil exploratum habemus, cum ipse *ὄκρητις κώτατος* Salmasius rem excutiendam doctis in medio relinquentem putet. Ad accuratioris Philosophiae studium, quo Marcus ferebatur, etiam pertinet, quod in inquirendis, et ad examen revocandis incantationum ludibriis, quae a pictoribus pleraque inventa sunt, versatus fuerit. Qua in re Diogneti ope usus est: teste Capitolino in Marco. c. IV. In studiis itaque philosophiae ita profecit, ut duodecimum aetatis annum ingressus, habitum Philosophi assumeret, et deinceps tolerantiam, cum studeret in pallio, et humi cubaret, vix autem matre agente, instrato pellibus lectulo accubaret. c. II. Adeo a delicatiori et molliori vitae genere alienus erat Marcus. Pallium illud non Christianum, (super omnes exuvias et peplos augusta vestis, dictum Tertulliano de Pallio c. II.) sed philosophicum, Graecorum, et Christianorum Episcoporum, Presbyterorum etc proprium vestis genus, detritum et squalidum: hinc Graecis *τρίβων* dictum. V. Cl. Salmasius ad Tertulliani Lib. de Pallio. Imo Marcus nimio labore et studio corpus affecit. Capitolinus in Marco. c. III. Valetudinem eius tenuem in primis notat Dio apud Xiphilinum in Marco p. et f. ubi addit, antea robusto fatis corpore fuisse. Collegit autem illas luculentissimas Sapientiae philosophiae praecptorum opes
ex

ex ipsis Graecae eruditionis adytis, tanquam fontibus; cuius rei testimonium praebet *Trebellius Pollio in Gallienis c. XI.* ubi et de hoc Adriano dicit, *raro aliquibus doctissimis, magnorum virorum arbitrio, in literis Graecis cessisse.* *Herodianus L. I. p.* haec habet: *λόγων τε ἀρχαιότητος ἢ ἐραστῆς, ὡς μηδενός, μήτε Ῥωμαίων, μήτε Ἑλλήνων, ἀπολείπεσθαι.* Etiam magnis honoribus auctus, et secundum COS. *studia cupidissime frequentavit.* *Capitolinus in Marco c. VI.* Et ad Imperatoriam dignitatem evectus, *ad domum Apollonii discendi causa venit. c. III. et c. VIII.* post adeptum Imperium, *se totum philosophiae dedisse* dicitur. *Dio* etiam ad Sextum Boeotium philosophum, Plutarchi nepotem, * iam Imperatorem Marcum crebro accessisse, et ad Hermogenis Libros Rhetoricorum audiendos, venisse memorat *apud Xiphil. in Marco pr.* Magnos hinc doctrina et eruditione viros summis honoribus affecit. *Iunio Rustico Stoico etiam ante Praefectos Praet. semper osculum dedit, teste Capitolino in Marco. c. III.* ubi eundem COS. iterum designatum, et a Senatu post obitum statuas eidem Marcum postulasse dicit. *Magistrorum suorum imagines aureas in larario habuit, et sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoravit. ib.* Magni certe honoris, quem Marcus suis Magistris exhibuit, haec sunt documenta. Taceo illud, quod *Xiphilinus in Epitome Dionis in Marco f.* narrat, eum Athenis in omni eruditionis genere doctores constituendo, iisdemque de larga mercede annua *μυριάων δραχμῶν f.* coronat. 1000. *ut notat Salmasius ad Capitolinum in Pio,* prospiciendo, omnium utilitati consuluerit. Siquidem dubiam et ancipitem adhuc eruditorum sententiam reddit *Capitolinus in Pio c. XI.* ubi idem Pio acceptum referre videtur: alius vero Adriano idem tribuit. Quamvis haec etiam commode conciliari posse existimemus, si initium *Arbenaei* illius Pio aut Adriano assignes, incrementis autem insignibus auctum cumulatamque illud a Marco esse dicas. Quum igitur ita se saluberrimis literarum studiis formandum daret,

* Petavius de Doctr. Temp. L. XIII. ad A. C. CXLVII.

ret, a primis aetatis suae annis gravis, et vario sapientiae genere instructus, pueritiae annos vix egressus, mature ab Adriano magnis honoribus ornatus est. Et Dio apud XI. phil. in Marco f. testatur, in primis ea de causa adoptatum fuisse, quod mature amore summo studia ista sectatus fuerit. Imo Eutropio teste L. VIII. m. Adrianus eadem de causa Marcum successorem paravit. Octavo statim aetatis anno in Saliorum collegium ab eodem relatus, et sexenni equi publici honos delatus. Capitolinus in Marco c. IV.* Mature vero haec honorum insignia accepisse nemo negabit, qui Romanorum veterum consuetudinem cognitam atque perspectam habet, secundum quam equi publici honor octavodecimo fere aetatis anno collatus est. Sic de Commodō Lampridius dicit. c. II. cooptatus inter Trossulos** principes inventuris, quum togam sumsit. i. e. decimo septimo fere aetatis anno: Et de eodem c. I. decimo quarto, inquit, aetatis anno in collegium sacerdotum ascitus est. Eum etiam in iis, quae ad notitiam sacrarum rerum pertinent, versatum fuisse, patet ex iis, quae Capitolinus in Marco c. cit. differit: Fuit in eo sacerdotio (saliatu) et praesul (praesultor) et Vates (ὕμνωδης) et Magister, multosque inaugura vit atque exauguravit, nemine praesente, quod ipse carmina cuncta didicisset. Nec longo intervallo temporis interiecto, honorem praefecti urbis feriarum Latinarum*** causa praeclarissime gesit. Cete-

* Equi publici mentionem facit Svetonius in Octavio c. XXXVIII. vid. ibid. Casaubonus: qui ad Capitol. l. cit. deletis verbis: equi publici, aliter legendum censet.

** Ita legendum. Vetus enim nomen retinuit Auctor. V. Salmasius h. l.

*** Feriae Latinae in monte Albano Iovi Latiali fiebant. Livius. L. V. c. 17. XXI. c. 63. etc. Svetonio in Caesare c. LXXIX. Sacrificii latinarum nomine insigniuntur. De origine earum a Tarquinio Superbo deducenda legi in primis meretur Dionysius Halicarnassicus L. IV. Antiqu. Rom. c. 6, f.

Ceterum assiduum et ardens Marci in philosophando studium etiam inde elucet, quod in multis locis, quae adit, homines gravibus sermonibus ad sapientiae omniumque rerum honestarum studia hortando, philosophiae vestigia reliquerit, etiam cum iam summum Augustae stationis fastigium ascendisset: uti post extinctas, quas Avidius Cassius fecerat, turbas idem de multis provinciis orientalibus *testatur Capitolinus in Marco. c. XXVI.* ubi etiam memoratur, *eum apud Aegyptios in omnibus stadiis, (al. studiis) templis, locis, philosophum egisse.* Hinc tantam doctrinae famam assecutus est, ut ad bellum Marcomannicum profecturus, serio a philosophis fuerit rogatus, ut, incerta belli sorte, editis praeceptis philosophiae, literarum studia adiuveret. *V. Arelus Victor L. de Caes. et Gallicanus in Cassio. c. III.* Denique hanc philosophiae scientiam tantum ad vitae honestatem, morumque moderationem referebat. *Herodianus L. I. πρώτος βασιλέων φιλοσοφίαν ἔ λόγοις, ἔδὲ δόγματων γνώσεσι, στυμῶ δ' ἠδὲ καὶ βίῳ σώφρονι ἐπισώσατο.* *Conf. Eutropius L. VIII. m.* Ex his factum, ut cum per omnem vitam philosophatus sit, singularis tandem et princeps in philosophia extiterit, omniumque admirationem plausumque meritis fuerit, et PHILOSOPHI nomen a summis, et antiquitate et doctrina excellentibus Viris delatum acceperit. Ita in *ἐπιγραφῇ Apologetici Iustini* inter alia habetur. *ὄνομα (scil. Ἄντωνος εὐσεβῆς) φιλοσόφῳ, apud Eusebium H. E. L. IV. c. 12. Philostrato in Philisco, eodem modo φιλόσοφος: Iustiniano vero in Novell. tit. XXII. φιλοσοφώτατος dicitur, etc.* Etsi autem hic titulus non a Senatu et Populo Romano ei datus sit, neque in monumentis antiquis, lapidibus, numis, etc. testibus gravissimis *Salmasio et Casaubono ad Capitol in Marco c. I.* incisus reperitur, veteribus tamen, et non longo intervallo ab aetate Marci remotis, scriptoribus Marci literae tantum admirationis attulerunt, ut eundem dignum nomine PHILOSOPHI existimarint. Eadem fere ratione, quae inter Orientis Imperatores *Sec. IX.* vergente, *Leo VI.* propter

E noti-

notitiam rerum divinarum, *Sapientis* vel *Philosophi* nomen est adeptus. Illud dolendum, quod Marcus, licet ex Platonis effato felix sit Respublica, *ubi aut imperantes philosophantur, aut philosophi imperant*: quod dictum etiam Imp. Marcus saepius inculcabat: teste *Capitolino in Marco. cap. XXVII.* male tamen propter assiduum philosophiae studium audierit. *Capitolini* hac de re verba in *Marco c. XXII.* sunt: *Quia durus videbatur ex philosophiae institutione Marcus ad militiae labores, atque ad omnem vitam, graviter carpebatur.* Sed malevolis, ut statim adiicit *Auctor*, ipse, vel *litteris*, vel *sermone* respondebat. Iis autem calculum non addimus, qui existimant, M. Antoninum nimio profanae sapientiae scientiaeque studio, in puriorem Numinis cultum tantis incensum odii fuisse, ut eos, qui eundem praestabant, (*A. C. CLXVIII. Hieronymus in Interpret. Can. Chron. ad h. A. secundum Petavium de Doctr. Temp. L. XIII. A. C. CLXII.* haec vexatio orta,) affligere instituerit. Qui enim accuratius temporum illorum historiam contemplatur, facile sibi persuadebit, quod multi tunc extiterint, qui malitia pravaque calumniandi libidine stimulati, omnium illorum temporum calamitates * ad Christianos, tanquam omnium malorum auctores, referrent, et hoc pacto occasionem anamque ad vexandos illos darent. *Eusebius L. V. H.*

* *Tales fuerunt inundatio Tiberis, urbi multum damni afferens. Capitol. in Marco c. VIII. et praeter famem tanta pestis, quae in ipso belli Marcomannici, quod A. CLXIX. erupit. Petavius de Doctr. Temp. L. XIII. h. A. apparatu ingruerat, ut vehiculis sint exportata cadavera, sarcinisque: multaque millia consumpta fuerint. c. XIII. Illinc etiam in oriente bellum Parthicum ex ardebat; illinc in Germania Marcomannicum in tanto erat metu, ut et innumerabiles victimae mactarentur, ut iam tum Marcus eadem, quae Iulianus postea, ad bellum Persicum proficiscens, cavillatione quorundam perstringeretur, et Roma omni genere lustrata, lectisternia per septem dies celebrata sint. ibid.*

V. H. E. c. 1. pr. vexationem illam Christianorum ἐξ ἐπιθέ-
σεως τῶν κατὰ τὰς πόλεις δῆμων (Musculus vertit: *urgentibus*
populis) excitatam fuisse testatur. Ad quam multum etiam
conferebant illi Christianorum servi, sacris purioribus non
initiati, qui itidem capti et tormenta veriti, *Thyesteia convivia*
et Oedipodeos incestus Christianis affingebant. V. *idem l. cit.*
Neque ideo tamen Marcum criminis accusandum putamus,
quod multi tum philosophiae nomen mentientes, favore et
liberalitate principis, qua illos, qui literarum studio se dabant,
prosequerentur, abuterentur, et hac ratione Reipublicae varia
afferrent detrimenta. *Capitolinus in Marco c. XXIII.* hac de
re ita differit: *Fama fuit, quod sub philosophorum specie qui-*
dam Rempublicam vexarent, et privatos: qua de causa male
audiisse Marcum, seque etiam a sinistro illo sermone purgasse,
testatur *ibid. Auctor;* Et confirmat *Dio apud Xiphil. in Marco f.*

§. XIV.

Moderationis autem, modestiae et temperantiae multis et
evidentibus documentis insignitus est. Eoque magis hoc no-
mine celebrandus, quod docente *Plinio in Panegyri. cap. XLV.*
f. Vita principis censura est, eaque perpetua. Hoc idem de
Marco iure meritorum eius dicere licebit. *Herodianus L. I. pr. de*
eo testatur, quod ideo πολὺ πλῆθος ἀνδρῶν σοφῶν ἤνευγει ἢ τῶν
ἐκείνων καιρῶν Φορὰ, et quod Marcus omnes actiones suas ad
saniora philosophiae praecepta exigendo, ceteros praeiverit.
Hic, opibus ceterisque, ad ostentationem et splendorem ac-
commodatis rebus neglectis, modestiam morumque inno-
centiam *μόνα ψυχῆς ἴδια καὶ ἀφάετα ἠγεῖτο κτήματα.* *He-*
rodianus ibid. Non autem aliter cum populo egit, quam est a-
lium sub civitate libera. *Capitolinus in Marco. c. XII.* Huc per-
tinet illud, quod Macrinus in literis ad Senatum et Pop. Rom.
finito contra Artabanum R. Parthorum bello, datis, dicit,
quod Marcus et Pertinax *ἐλευθερίαν ὑπὸ τῶν εὐπατριδῶν βα-*
σιλέων ἀφαιρέθεισαν ἀποδῆναι ἐπειράθησαν. *Herodianus L. V.*
pr. Pergit Capitolinus l. c. Per omnia moderatissimus in hominibus*
deterrendis a malo, invitandis ad bona, remunerandis copia, in-

E 2

dul-

* *Conf. Eutropius L. VIII. m.*

*dulgentia liberandis. Inprimis lenitati maxime studebat: ut, ne in quenquam facile vindicaret, praetorem quoque, dum pessime egerat, non abdicare se praetura iussit, sed collegae iurisdictionem mandavit. l. c. Certe in iudiciis, contra gravium scelerum reos institutis, summam moderationem aequitatemque declaravit, Idem c. XXIV. Capitales honestiorum hominum causas ipse cognovit summa aequitate, ut praetorem reprehenderet, qui cito reorum causas audierat; iuberetque illum iterum cognoscere. Non poterat Marcus aequo ferre animo, ut praetores per alios de reorum causis iudicarent. Huc spectat etiam, quod Herodianus L. I. pr. de Marco dicit, quod fuerit τὰς προσιόντας δεξιόμενος, κωλύων τε τὰς περὶ αὐτὸν δορυφόρους ἀποσοβεῖν τὰς ἐντυγχάνοντας. Cum etiam in Oriente Avidius Casius, homo varius, qui Imperatorium nomen ferre non poterat, dicebatque, nihil esse gravius nomine imperii. Volcatius Gallicanus in Casio. c. I. quique gauderet Catilina appellari. c. III. truculentus item erat, c. IV. novas res moliretur, * et Imperatorem se appellaret, Marcum diem suum obiisse omnibus persuadere conatus, praefectum etiam praetorio crearet, urbiqve ingentem iniiceret terrorem; c. VII. Conf. etiam Capitolinus in Marco c. XXIV. et XXV. graviter iratus non fuit, rebellione cognita. Gallicanus l. cit. Non tamen motum illum nimia negligentia contempsit, ut indicat Xiphilinus in Dionis Epitome in Marco m. et conf. orationem Marci ad milites ibidem, ex qua et diligentia eius et clementia patet. Nec in fiscum suum bona Casii a Senatu proscripta recepit. Inscio praeterea et inconsulto Marco, Casius et filius Metianus interfecti: Casium occidere passus est, non iussit: ut iisdem verbis Gallicanus l. c. et Capitolinus in Marco c. XXVI. loquuntur. Conf. oratio Marci apud Xiphilinum l. cit. Et in Epistola qua Faustinae respondet, Marcus de eadem defectione Casiana dicit: Si ex mea sententia de bello iudicatum fuisset, nec Avidius esset occisus. Extat illa Epistola apud Gallicanum in*

Casio.

* A. C. CLXXV. secundum Petavium de Doctor Temp. L. XIII. ad A. H.

Cassio. c. XI. Imo Marcus doluit, cum caput occisi Cassii, quod etiam humari iussit, (*teste Capitolino in Marco c. XXV.*) conspiceret, ereptam sibi esse occasionem misericordiae, dicens, se etiam, cum beneficia collata illi exprobrasset, nihil amplius graviter in illum decernere voluisse. *Gallicanus in Cassio c. VIII. Conf.* oratio Marci apud Xiphilinum l. c. Praeter paucos centuriones, in quos supplicio capitis animadversum est, omnibus, quantum in se fuit, ignovit. Cum Alexandrinis, qui multa in Cassium fausta dixerant, clementer egit, filiam suam etiam apud eos relinquens. *Capitolinus in Marco. c. XXVI.* Antiochenis quoque reconciliatus est, licet his, qui soli in caedem Cassii non consensissent: *Gallicanus in Cassio c. VII.* graviter iratus antea esset; redditis etiam spectaculis, conventibus publicis et aliis ornamenta, quae iis ademerat. *c. IX. conf. Capitolinus in Marco c. XXV.* Hoc maxime tempore omni studio elaboravit, ne imperium suum caede Senatoris, aut alius viri nobilis pollueretur. *Capitolinus in Marco c. XXIX.* *Gallicanus in Cassio l. c. Conf.* etiam excerpta orationis ad Senatum, quae habentur apud eundem. *c. XII.* Et paulo ante mortem iuravit Marcus in Capitolio, nullum Senatorem se sciente occisum, cum etiam rebelles dixerit se servaturum fuisse, si scisset. *Capitolinus in Marco c. XXIV.* Et sane optimus quisque princeps hanc gloriam pietatis sibi propriam habere studet. Talem fere clementiam pariter de patre Marci, Tito Antonino celebrant, ut, eo imperante, unus tantum proscriptus esse dicatur. *V. Capitolinus in Pio. c. VII. VIII. X. XII. et XIII.* Sub Traiano proavo unus tantum senator occisus, ipso etiam ignorante, traditur ab Eutropio *L. VIII. pr.* Sic Alexandri Severi principis optimi imperium ἀνάμεινον appellat *Lampridius in eod. c. LII.* quod senatorum nullum occiderit. Hoc eadem ratione exprimit *Herodianus L. VI. pr.* de Alexandro dicens: ἀναμεινῶτι ἤρξε. Singularem etiam Marci clementiam et benignitatem interfecti Avidii Cassii liberi experti sunt. Hos enim non solum media parte pa-

terni patrimonii donavit, sed etiam auro argentoque et ornamen-
tis adiuvit, ut summa securitate vivere iis liceret. Gallicanus
in Cassio. c. IX. coll. cum Capitolino in Marco c. XXVI. qui etiam
*amplius media parte patrimonii accepisse filios Cassii testatur. **
 Tanta moderatione erga tyrannum, variis moribus prae-
 ditum, Marcus usus est: cum etiam Cassius aliquando acer-
 bis in Marcum et Verum fratrem calumniis invecus es-
 set. *Conf. Epistola ipsius Cassii ad generum suum apud Gal-*
licanum in Cassio cap. XIV. Verus Augustus in Epistola ad Mar-
cum scripta, cuius aliquas lineas affert idem cap. I. testatur,
 Cassium contemtim habuisse Marcum, ut eum *philosopham*
aniculam appellaret. *Idem cap. III. memorat, Cassium dixisse,*
futurum se Sergium, si διαλογιστήν (Marcum) occidisset. Ne-
que heic Dionem apud Xiphilinum in Marco f. audiendum esse
 putamus, qui negat, quicquam calumniarum a Cassio in Mar-
 cum iactum fuisse. Illa enim illustria Epistolarum Veri Au-
 gusti, et ipsius Cassii monumenta dubitationi locum non am-
 plius relinquunt. Nihil vero Marcus his movebatur convi-
 tiis, ut semper ultionem sui doloris averfatus sit. *Dio apud*
Xiphilinum in Marco m. tradit, quod Marcus literas, quibus ea,
 quae inter Faustinae et Cassium convenisse dicebantur,
 comprehensa erant, resciderit: *ibidemque circa fin. addit, quod*
 etiam plerosque beneficiis cumulaverit, qui ipsi filioque mor-
 tem intentassent. Quam nimiam fere lenitatem, cum qui-
 dam in vitio poneret, dicens: *Quid si vicisset?* responsum
 illi dedit in Philosopho a Christianis sacris alieno mirandam:
Non sic Deos coluimus, nec sic vivimus, ut ille (Cassius) nos
vinceret; Bonum enim imperium nullam vim laedere, nec bo-
nos principes a rebellibus superari posse assererat; exempla
Augusti, Traiani etc. referens. V. Gallicanus in Cassio c. VIII.
et XIII. Quamvis aliter prorsus disputarit Alexander Seve-
rus

* *Licet alias hi duo in hac historiae parte pleraque iisdem inter-*
dum verbis exponant, ut unus idemque Cassii, qui Marci
vitae auctor esse doctis videatur. Conf. Cl. Salmasius in
ἐπιγραφήν vitae Cassii.

rus sanctus Imp. optimos quosque violenta morte consumptos esse, pronuncians, exemplis Alexandri (Macedonis) Caesaris, Pompeii, Demosthenis, Tullii etc. allatis. *V. Lampridius in Alexandro c. LXII.* Solent nempe optimi principes plerumque eos, qui defecerunt, lenitate et patientia ad officium ac fidem revocare. Sic, teste *Aurelio Victore*, T. Antoninus, cum ob inopiae frumentariae suspicionem, lapidibus a plebe Romana perstringeretur, maluit ratione exposita placare, quam ulcisci seditionem. Alexander Severus Camillum quendam Senatorem res novas molientem etiam participem Imperii appellavit. *Lampridius in Alexandro c. XLVIII.* Adeo supplicia et caedes detestabatur Marcus, ut etiam gladiatores obtuso tantum ferro Romae dimicare decreverit. *Dio apud Xiphilinum in Marco f.* Quo respexisse etiam videtur *Capitolinus in Marco c. XI.* Iure ergo optimo *Pollio Antonini* hujus pietatem laudat. *in Claudio II. c. II.* Quod pietatis vocabulum plerumque iis antiqui tribuebant, qui insignem clementiae laudem fuissent consecuti; uti de *Tito Antonino* notum est. *V. Capitolinus in Pio c. II. Lampridius in Elagabalo cap. VII.* Alexander etiam a quibusdam pius appellatus est, teste eodem in *Alexandro c. IV. Conf. Epistolam ad Faustinae uxorem apud Gallicanum in Casio c. XI. et acclamations Marco a senatu factas, apud eundem c. XIII.* Hoc autem nomen, tanquam ἐπιωνυμίαν, (uti T. Antoninus) obtinuisse Marcum, negamus. Lenitatem vero hanc Marcus etiam quodammodo temperavit, ut effusam licentiam magna auctoritate saepe coerceret. Et licet minore supplicio, quam legibus plebi solent, crimina puniret, nonnunquam tamen contra manifestos et gravium criminum reos inexorabilis permansit. *Capitolinus in Marco c. XXIV.* Ceterum singularem etiam quandam patientiam iis, cum quibus sanguine iunctus erat, ut *Veri* fratri, *Faustinae* uxori, et *Commodo* filio pessimi exempli hominibus exhibuit. *Capitolinus in Marco c. VIII.* testatur, quod Marcus *Veri* fratris diffluentes luxuria mores patienter et prope invitus ac volens tulerit. et c. *XV.* quod *Veri* vitia celaverit et defenderit, eumque di-

vum appellavit, amittasque ejus et sorores, honoribus, et salariis decretis, sublevarit atque provexerit. De Faustina idem fere dicere licebit, femina impura atque procaci c. XIX. ubi horrendum prope foedisimae libidinis documentum, quod quidam produnt, exhibet, quae Commodus ex omnium dedecorum ac scelerum colluvione concretus, natus dicitur; Quam, licet quidam utgerent, repudiare noluit. Mortuae vero novae puellae Faustinae, institutae Matrisve castrorum nomen tributum fuit. c. XXVI. Quod, victis ad Danubium mira Numinis providentia Germanis, contigisse indicat Xiphilinus in Epitome Dionis de Marco. m. Quod Matris castrorum nomen magni honoris et splendoris signum esse liquet. Ita Victoria mater Victorinorum, quae XXX. tyrannis accensetur, castrorum Mater, etiam Numis testibus ab exercitu dicta est. V. Pollio in XXX. Tyrann. c. XXV. et XXXI. Et sinistrum de Faustina sermonem a Marco purgatum per Epistolas fuisse, indicat Capitolinus in Marco c. XXIII.* Commodi vero pessimos custodes, quos submotos usque ad aegritudinem desiderabat, per patris mollitiem restitutos dicit Lamprius in Commodus c. II. Denique quorundam etiam fordidae conditionis hominum iocos mordaces patienti animo tulit; Exempla vid. apud Capitolinum in Marco c. XII. et c. XXIX. Cum vero in omnibus fere rebus moderationis et temperantiae serio studio haberet rationem, tum in expendendis sumptibus, maximopere generis voluptatibus honestatem, semper sui similis sectatus est: ita ut effusam luxuriam libidinemque Veri fratris maximo habetet odio. Existimabat enim, nihil proprium habere principem. Hinc, cum ad bellum Scythicum proficisceretur, pecuniam a senatu ex aerario petisse legitur apud Xiphilinum in Dionis Epit. de Marco f. Sane magnam vim frugalitatis laudem in principibus

* Imo adulteros eius a Marco ad varios honores evectos esse, eaque de causa ipsum male audisse, testatur idem. c. XXIX. Tangit etiam hanc Marci erga uxorem patientiam Dio apud Xiphilinum in Marco f. Conf. Aurelius Victor.

pibus tunc temporis habuisse, multorum nos monumenta admonent. Huius gloria captus Alexander Severus, formas binarias, ternarias etc. usque ad centenarias, * quas Elagabalus invenerat, resolvi praecepit, et penitus fustulit; cum diceret, plus largiendi hanc esse Imperatori causam, si, cum multos solidos minores dare possit, decem vel amplius una forma triginta et quinquaginta et centum dare cogeretur, teste Lampridio in Alexandro c. XXXIX. His iure quodam suo accensendus Marcus est. Hic sumptibus publicis cavet, gladiatoria spectacula omnifariam temperavit; scenicis etiam donationibus modum praescripsit. Capitolinus in Marco c. XI. et c. XXVII. Malum enim villicum esse existimabat Imperatorem, qui ex visceribus provincialium pecuniam extortam, in res non necessarias erogaret: Vti pronunciabat Alexander Imp. apud Lampridium c. XV. et XXXIII. Adeo in consumenda pecunia moderatus erat Marcus, ut nihil vel assentationi, vel timori tribueret, ut cum milites peracto bello gravissimo, (Marcomannico) aliquid pecuniae, praeter id, quod accipere antea solebant, poscerent, non dederit. Dio apud Xiphilinum in Marco pr. Addit tamen idem sub fin. luculenta etiam liberalitatis documenta, de octo aureis viritim populo distributis, et syngraphis multorum annorum combustis; ** et ibidem post nonnulla, in primis beneficentiam Marci praedicat, eidemque templum a Marco exstructum in Capitolio ait. Conf. etiam Capitolinus in Marco c. X. et XIII. item Eutropius L. VIII. m. Ceterum ad hanc eius moderationem pertinet, quod fisco in causis compendii nunquam iudicans favorit. Capitolinus in Marco. c. XII. Delationes, quibus fiscus augetur, contempsit. Gravissimo belli Marcomannici impetu, periculisque aliis publicam salutem turbantibus, cum omnis fere et fisci et aerarii pecunia exhausta esset, ne tributis praeter morem pendendis, aliquid oneris imponeretur

F tur

* Numos centum aureis valentes.

* Conf. Eusebium in Chron. ad A, CLXXIX. Hieronymum ibidem.

tur provincialibus, in foro divi Traiani auctorem ornamento-
 rum Imperialium fecit, vendiditque aurea pocula, et crystallina,
 et myrrhina, vasa etiam regia, et vestem uxoriam sericam et auro-
 tam, gemmasque etiam, quas multas in repostorio sanctiori Adria-
 ni repererat. *Capitolinus in Marco cap. XVII, et c. XXI. Conf. Eutropium L. VIII. m.* Quamvis illud, quod venditionem il-
 lam secutum est, non omnino in bonam partem accipiatur. *Permisit enim tunc viris claris, ut eodem cultu, quo et ipse, vel mi-
 nisteriis (vasis aureis et argenteis) similibus convivium exhiberent: Idem in cit. c. XVII.* Videtur hac ratione nimiae conviviorum
 luxuriae ansam praebuisse, qui alias eandem omni cura tem-
 perare studebat. Et ex eo Elagabalum, omnium non solum bi-
 pedum, sed etiam quadripedum spurcissimum, * occasionem ac-
 cepisse, suaeque luxuriae speciem quandam praetendisse, col-
 ligitur ex *Lampridio in Elagabalo c. XIX.* Cum enim dixisset
*auctor, primum omnium privatorum toros aureis toralibus eum te-
 xisse, subiicit, id tunc ex Antonini Marci auctoritate fieri licuisse, qui omnem apparatus imperatorum publice vendiderat.* Alio-
 quin omnibus populi voluptatibus occasionem praecedere
 laborabat; ut etiam populus, cum praesertim gladiatores ad
 bellum legisset, obsequentes eos appellans, (*Capitolinus in Marco
 c. XXI.*) sermonem spargeret, quasi Marcus vellet omnes, *subla-
 tis voluptatibus, ad philosophiam cogere. c. XXIII.* Et ut tur-
 pes varii generis voluptates coerceret, Serapidis sacra Pelusio-
 tis ademit, ne tanta scelera ab iis sub specie sacrorum commit-
 terentur, quod *ibidem* significatur his verbis: *Sacra Serapidis
 a vulgaritate Pelusii submovit.* Neque tamen ita austeri erat
 ingenii, ut ab omnibus plane voluptatibus populum abducere
 voluerit. Sic in munere publico aliquando ita se liberalem,
 aut, ut Graecorum indole loquitur *Capitolinus, magnanimum
 praestitit, ut una missione Adriani avi exemplo (Spartianus in
 cod. c. XIX.) centum leones exhiberet, sagitta interfectos. Capi-
 tolinus in Marco cap. XVII. et c. XXIII. Eutropius L. VIII. m. Conf.
 Eusebium et Hieronymum ad A. CLXXX.* Sic etiam post com-

* Ita eum appellat Alexander Imp. apud Lampridium c. IX.

municatam cum filio Commodo tribunitiam potestatem, *mirifica spectacula populo dedisse*, legitur *c. XXVII*. Denique nihil fere, effrenata cupiditate et affectu vehementi impeditus, egit, ut non facile in alterutram partem nimio animi impetu ferretur, sed animum placidum servaret. Et cum severus propter assiduum philosophiae studium esset, semper tamen comitati etiam se dedit: ut *frugi esset sine contumacia; verecundus sine ignavia; sine tristitia gravis*. Capitolinus *Lib. cit. c. IV. et c. XII.* in eandem fere sententiam dicit: *quamvis esset constans, * erat etiam verecundus: quam verecundiam idem c. IV. indulgentiam appellat. Ita omnia ad modum et rationem ei praebita fuerunt: quod de Alexandro Severo dicit Lampridius cap. XXXVII.* Et tranquillitate animi etiam ad Stoicam ἀπάθειαν Marcum accessisse, memorat Capitolinus in *Lib. cit. c. XVI. Conf. Eutropius L. VIII. m.* Eadem fere ratione quae itidem de Alexandro dicitur *apud Lampridium c. XXIX. eum nunquam taediasset, (pertaesum fuisse) aut morosum iratumque resedisse, fronte semper pari fuisse: ut merito Herodiano L. i. pr. Marcus μέτριος βασιλεύς dicatur.*

§. XV.

Accuratam eius diligentiam intentumque studium in rebus, magna prudentia adhibita, agendis celebrant Historici. Bellorum Britannici, Parthici, Germanici, Hispanici contra Mauros etc. impetus, ** aliaeque calamitates Romanas res graviter perturbabant. Cura tamen maxime sua et labore effecit, ut felici omnia exitu componerentur. Fratre Vero ad bellum Parthicum, quod Vologesus excitaverat, conficiendum in Syriam profecto, parumque diligenter res prosequente, Marcum Romae *horis omnibus Reipublicae actibus incubuisse, omniaque ad bellum necessaria disposuisse et ordinasse*, dicit Capitolinus in *Marco c. VIII.* Et reverso Vero, cum aliquando Marcus in villa illa famosissima, a Vero extructa, quinque diebus resideret,

F 2

ut

* Ita accipit vocem hanc etiam in Pio c. V.

** Eusebius in *Cañ. Chron. ad A. CLXXIV. ΑΥΤΩΝΙΝ ΠΥΚΝΩΣ ΤΟΙΣ ΠΟΛΕΜΙΟΙΣ ΕΠΕΚΕΙΤΟ:*



ut fratri ostenderet incitandam morum suorum sanctitudinem,
 cognitionibus continuis operam dedit, aut convivante fratre, aut
 convivia comparante. Idem in *Verō* c. 119. Post mortem Veri, cum
 bellum Germanicum instauraretur, optato successu omnia
 procuravit. *Capitolinus* in *Marco* c. XVII. de hac expeditione
 ita differit: *Specialiter ipse bellum Marcomannicum, sed quan-*
*nulla unquam memoria fuit, ** (ut ipsi Germani usque in Itali-
 am venerint, testante etiam *Dione* apud *Xiphilinum* in *Marco*
pr.) *tum virtute, tum felicitate transegit: quamvis pestis mul-*
ta millia popularium et militum consumsisset. conf. etiam c.
*XXI. *** Et licet bellum etiam Britannicum denuo fieret,
 et ab Illyrico in Galliam usque arma moverentur, labore ta-
 men suo gentes asperrimas vicit. *Capitolinus* cit. lib. c. XXII.
 Amicorum, ut a bellis discederet, petentium preces non
 curavit, non prius recedens, quam omnia bella finiret. *ibid.* Et
 nisi motus in oriente a Casio excitati fuissent, Marcoman-
 niam Sarmatiamque in provinciae formam haud dubie re-
 degisset. c. XXIV. item c. XXVII. dicit *Autor*, si anno uno su-
 perfuisset, provincias ex his (gentibus, cum quibus bellum ei
 in Germania erat,) fecisset. Nec omittendum magnae eius
 curae, quam pro Imperii salute habuit, documentum,
 quod in illas provincias, quae tumultu quodam aut bello
 agitari coeperunt, legatos consulares aut praetorios mitte-
 ret, ut eo facilius eas aut restitueret, aut in ordi-
 nem redigeret. Docet hoc *Capitolinus* c. XXII. his
 verbis: *provincias ex proconsularibus consulares, aut ex*
consularibus proconsulares aut praetorias pro belli neeesi-
tate fecit. Iam tum enim Octavii tempore quaedam
 provinciae populo, quaedam Caesari adscriptae sunt,

teste

* *Iisdem verbis utitur Eutropius* L. VIII. m.

** *Meminit huius belli etiam Lucianus* in *Ψευδομάντ.* f. ubi
πόλεμον ἀκμάζοντα appellat, eiusque causa *Alexandrum*
virum illum μισαρὸν oraculum edidisse, narrat: numerat-
que Romanos δυσμυρίσς σχεδὸν ἀθρόσς ἀπολλομένσς. qui in
Aquileiam fere captam ait. p. 183. et 184. (ed. Venet.)

teste Dione L. LIII. pr. Et apud eundem circa med. Libri eiusd.
 locus clarus habetur de provinciarum Caesaris administra-
 tione.* Quod etiam tanquam prudentiae argumentum de
 Alexandro Severo sancto principe, exemplum Marci imi-
 tante, memorat *Lampridius in Alexandro c. XXIV.* Neque
 minori studio res etiam civiles curavit, ut semper, quantum
 potuit, interesset senatui, etiamsi nihil esset referendum, si Romae
 fuit; si vero aliquid referendum esset, etiam de Campania ipse ve-
 niret. Comitibus item usque ad noctem frequenter interfuerit.
Capitolinus in Marco c. X. Idem confirmat *Dio apud Xiphili-
 num in Marco pr.* inter alia affirmans, quod etiam noctu in
 causis cognoscendis operam posuerit: nihil segniter aut
 propere dixerit aut fecerit. Iudiciis singularem curam
 dedit, et *fastis dies iudicarios annuos ducentos triginta consti-
 tuit. Capitolinus l. c. conf. etiam c. IX. XI.* Huic Marci dili-
 gentiae nullam labem impingit, quod vanitates quasdam
 sectatus fuerit, ut Athenas profectus sit, quo *initia Cereris*
*adiret,*** (haec *μύησις* notatur) *sacrarium solum**** ingres-
 sus fuerit. (indicatur *ἐπόπτευσις*) *Capitolinus in Marco c.*
*XXVII.***** item; ut *civem apud Aegyptios egerit. Capitoli-
 nus in Marco c. XXVI.* Haec enim, parta pace publica, facta
 sunt: teste gravissimo *Trebellio Pollione in Gallieno. c. XI.*
 Quae in Gallieno, molli et ignavo homine, tumultuantibus
 contra ipsum militibus, et tota Republica maximis motibus
 quassata, *idem Auctor* reprehendit. Neque tamen Marcus
 ductu suo et auspicio res ita moderabatur, ut sibi nimium
 arrogaret. Sed ad plurima belli pacisque negotia *optima-*

F 3

tum

* *Locum hunc erudite illustravit Cl. Salmasius V. C. Conf.*
 etiam *Spartianus in Adriano c. III. et vid. quae ibidem*
 notat idem *ὁ πάλιν* Salmasius.

** *Sic restituit locum hunc Salmasius.*

*** *Pro Solus.*

**** *Quod Spartianus de Adriano loquens c. XIII. expresit:*
Eleusinia sacra suscepit. Petavius de doct. Temp. L. XIII.
A. C. CLXX. Marcum Cereris templum adiisse docet.

tum (procerum) consilia quaesivit. *Capitolinus in Marco c. XXII.* Et sane gloriam hanc, quam, expediendis diligenter rebus, meritus est, auget maxime, quod, licet esse per totum imperii tempus admodum infirma valetudine, praeclare tamen salutem publicam conservarit, ut post eius mortem aureum regnum in ferreum mutatum esse, dicatur a *Dione apud Xiphilinum in Marco f.* His denique omnibus praeclaris virtutibus, quibus eluxit, (*vid. Herodianus L. 1. pr.*) maximum pondus momentumque addidit, quod in iisdem immotam animi constantiam conservaret. *Dio apud Xiphilinum in Marco. f.* aequabilem in omni vita fuisse, neque ulla in re a veritatis et moderationis studio recessisse * testatur. Quamquam multa essent, quae illum a summo virtutum fastigio dimovere poterant, quod significat *Capitolinus L. cit. c. XIX.* Vtrum vero fictus, aut nimis tectus fuerit, quod ei crimini datum fuisse scribit *idem c. XXIX.* certo definire ac statuere non licet. Sane *Dio loc. cit.* ab hoc crimine liberare eum contendit, nihilque προσποιητὸν habuisse; et ἀληθῶς ἀγαθὸν ἀνέρα fuisse asserit. Et paulo ante omnia cum virtute egisse ait.

§. XVI.

Hinc cum omnium fere virtutum laude cumulatisimus esse videretur, omnium etiam applausum, amorem singularem, gloriam honoresque summos, nec antea usitatos et pervulgatos cum in vita, tum post mortem consecutus est. *Capitolinus in Marco c. XVIII.* dicit: *In amore omnium imperavit, atque ab aliis modo frater, modo filius, ut cuiusque aetas sinebat, dictus.* Haec enim fere nomina amor populi in principem singularis conferebat. De Gordiano III. Imperatore omnibus grato, testatur *Capitolinus in Gordianis c. XXXI.* eum a senatoribus et militibus *filium* dictum fuisse. *Conf.* insignem et memoratu prae ceteris dignam *acclamationem* Senatorum Claudio II. Imperatori, quem singulari amore

* ἐμφοτικῶς loquitur Dio: ὁμοίως διὰ πάντων ἐγένετο, καὶ ἐν ἑδενὶ ἡλλιώθη. Eodem fere modo Eutropius confirmat L. VIII. m.

amore et applausu complectebantur, factam *apud Pollionem*
in Claudio cap. IV. Qui amor erga Marcum tum maxime
 cognitus perspectusque fuit, cum perfidia Avidii Cassii eo res
 esset deducta, ut urbs iam incendio et direptioni hostium re-
 licta esse videretur. *Omniū enim consensu, praeter Antio-*
chenses, Avidius interemptus est. Gallianus in Cassio cap. VII.
 Huc refer *acclamationes* a senatu Marco factas *apud eundem*
c. XIII. Morbo autem decumbentis Marci, tanta fuit mi-
 seratio, ὡς μηδὲ καταχόντας τινὰς αὐτῶν εἰς οἰκωγὴν ἀναβοῆ-
 σαι. *Herodianus L. I. pr.* Nec immerito illa summorum ho-
 norum genera huc referimus, quae Marco post mortem sin-
 gulari hominum erga ipsum pietate collata sunt, quibus satis
 commode gloria eius illustrior reddi potest. Ita *Pollio*, cum
 Claudii II. famam et merita prae ceteris extollere vellet, sin-
 gulares honores, quibus post mortem aeternitati consecratus
 fuit, memorat *in eius vita c. III.* Cum vero Marcus in Pan-
 nonia apud Sirmium obiisset, εἰδότες ἦν ἀνθρώπων τῶν ὑπὸ τὴν
 ῥωμαίων ἀρχὴν ὅς ἀδακρυτὴ ἀγγελίαν (de morte nempe Mar-
 ci) ἐδέχετο πάντες δ' ὡσπερ ἐκ μιᾶς Φωνῆς, οἱ μὲν πατέρας
 χρηστὸν, οἱ δ' ἀγαθὸν βασιλέα, γενναῖον δὲ ἕτεροι στρατηγόν, οἱ
 δὲ σώφρονα καὶ κόσμιον ἀρχόντα ἀνεκάλειν *Herod. Lib. cit.* Lu-
 ctus autem, quo senatus, exercitus atque populus consterna-
 tus erat, tempore transacto, *tantus amor die regii funeris claruit,*
ut nemo eum plangendum censuerit; cum sibi persuaderent,
quod a Diis commodatus, ad Deos rediisset. Capitolinus in Marco
c. XVIII. In ritibus autem ἀποθεώσεως, licet hi omnibus fere
 iam a C. Iulio Caesare Imperatoribus decreti fuerint, * et qui-
 dem *Herodiano teste L. IV. pr.* maxime iis qui ἐπὶ διαδόχοις
 πάσις ἐτελεύτησαν: ** quaedam tamen summi nec antea
 usitati honoris genera adiecta fuisse deprehendimus. *Capit-*
olinus

* V. Svetonius in Caesare c. LXXXVIII. Imo teste Appiano
 L. II. Εμφουλ. f. *Caesar adhuc vivus τὸ σῶμα ἱερός καὶ ἀ-*
συλῶν appellatus est.

** Vid. ibid. Ceremonias ritusque ἀποθεώσεως Imperatoris
eleganter descriptas.

tolinus l. cit. refert ex multorum narratione, quod, antequam
 funus conderetur, senatus Populusque eum non divisim locis, sed in
 una sede propitium Deum dixerit. Quo praeterea accessit,
 quod sacrilegus iudicaretur, qui eius imaginem in sua domo non
 haberet, qui per fortunam, vel potuit habere, vel debuit. Dio
 apud Xiphilinum in Marco f. memorat, quod Senatus Marco
 atque Faustinae aram exstrui constituerit, ad quam virgines
 nubentes una cum sponis rem sacram facerent. Imo teste Ca-
 pitolino l. cit. fuerunt, qui somniis eum multa praedixisse futura et
 vera concinuerunt: quod ad τὴν τῶν ὀνειπέων ἱερῶν τεύχεον seu ἐγκοί-
 μῳσιον refert Casaubonus ad l. cit. Et de aetate sua, qua vixit, Ca-
 pitolinus testatur, quod etiam adhuc deus habitus fuerit. c. XIX.
 Multi etiam Imperatorum qui sequentibus seculis vixerunt,
 Marcum οὐραδὸν καὶ σὺνέδρον θεῶν (ut perversa hominum im-
 piorum ferebat opinio) prae ceteris Imperatoribus colue-
 runt. Sic Severus Imperator non tantum in familiam
 Marci transire volebat; Spartianus in Severo, c. X. Conf. idem
 in Getac. II. ubi dicit, Severum se Marci fratrem (vel secun-
 dum Dionem apud Xiphilinum in Severo m. filium) dixisse, eius-
 que philosophiam liberarumque institutiones imitatum esse; sed
 etiam Commodum filium tantis sceleribus inquinatum,
 propter honorem, quem Marco habebat, inter divos retulit,
 et Antonini nomen omnibus deinceps quasi Augusti adscribendum
 putavit. in Severo c. XIX. Et Diocletianus Marcum inter
 Numina sua non ut ceteros sed specialiter venerabatur, et vita et
 clementia talis esse cupiebat, qualis fuit Marcus. Capitolinus l.
 cit. * Conf. Lampridius in Elagabalo c. II. Huius etiam Marci
 (et Pii) morum rerumque gestarum gloria impulsus Gor-
 dianus senior, maiorum suisque honoribus clarus, carmen
 Antoniniades, exemplo Virgilii Statiique, Aeneae et Achil-
 lis laudes canentium, composuit; teste Capitolino in Gordia-
 nis c. III. ** Huc etiam refer, quod Socrates nimiam in Iu-
 liano

* Nisi forte Auctor adulationi aliquid tribuit.

** Qui idem etiam omnium Antoninorum laudes soluta o-
 ratione persecutus est. c. IV.

liano cavillandi libidinem inde maxime declarat, quod cum omnes ante se Imperatores, in Libro de Caesaribus scripto, reprehenderit, ne Marco quidem philosopho parcendum putarit. *L. III. H. E. c. 23. pr.*

§. XVII.

Postremo cum multa in huius Imperatoris vita praeclarae virtutis et felicitatis documenta se prodiderint, ut *Diis vita et morte coniunctus*, existimaretur, *V. Capitolinum in Marco c. XVIII.* et ἀρετῆς αἰδίων μνήμην εἰς τὸν ἐσόμενον αἰῶνα reliquerit. *Herodianus L. I.* tum illud praecipue observari meretur, quo singulari divini Numinis providentia ad puriora sacra invitatus fuisse videtur. Accidit enim A. C. **CLXXIV.** * (qui annus ea de causa insignis redditus est) ut, cum bello contra Marcomannos, Quados, Iazygasque atroci, in tantas angustias exercitus Romanus redactus esset, ut faucibus locorum inclusus, inopia conficiendus esse videretur, precibus legionis Melitensis ** pluvia impetrata, restitutus sit: hostibus fulmine (*Eusebius, σκηπτῶ*) et saeva tempestate oborta, in fugam actis deletisque. *Conf. huc inscriptionem* insignem, quam affert *Ios. Scaliger ad Euseb. p. 205.* Tangit hanc rem etiam *Capitolinus c. XXIV.* eamque ipsius Marci precibus tribuere conatur. *Fulmen, inquit, de coelo precibus SVIS contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata, cum siti laborarent.* Neque tamen ideo fidem Autoris huius evertere audemus, quam merito summi viri illi tribuunt: *Nemo enim Scriptorum (Historicorum) non aliquid mentitus est.* *Vopiscus in Aureliano c. II.* *** *Dicitur est a quibusdam, per Chaldaeos et Magos*

* Teste Eusebio in *Can. Chron.* ad h. A. itemque Hieronymo in *Interpret. Petavio de Doctr. Temp.* L. XIII. h. A. aliis.

** *Haec enim sacris Christianis dedita erat.* Xiphilinus in *Epit. Dionis de Marco pr.* Eusebio dicitur μελιτίνη λεγεὼν διὰ πίστεως ἐξ ἐκείνης καὶ εἰς δεῦρο συνεστῶσα.

*** *Facile potuit Capitolinus a Christianorum sacris alienus, opinione vulgi atque rumore in falsam deduci sententiam.*

gos Antoninum id egisse, ut Marcomanni populo Romano semper
 devoti essent atque amici, idque factis carminibus et consecratio-
 ne. Lampridius in Elagabalo c. IX. Et refert Xiphilinus ex Dio-
 ne, dixisse quosdam, Arnuphim Magum Aegyptium arti-
 bus s. defixionibus Magicis pluviam extorsisse. Ita vario-
 rumore res illa miraculi plena iactatur. Recte vero Xiphili-
 nus hac in parte Dionem mendacii accusat, ** Marcum Ma-
 gos secum habuisse, negans, et Christianae legionis preci-
 bus siti et angustia exercitum Romanum liberatum, hostes
 autem profligatos fuisse affirmans. Cuius, utpote recen-
 tioris, auctoritati non fideremus, nisi Eusebius, quia Marci
 aetate ultra C. fere annos non abest, itidem Christianae legi-
 oni illam hostium cladem assignaret, qui etiam testatur, hanc
 historiam apud alios quoque, a purioribus sacris remotos,
 reperiri: ἡ δ' ἰσορία φέρεται μὲν καὶ παρὰ τοῖς πόρρω τῶν κατ'
 ἡμᾶς λόγῳ συγγραφεύσι. Sed illi plerique Marci victo-
 riam vanis populorum superstitionibus, ut illorum in re-
 bus, quae ad sacra Christiana pertinent, tradendis, fert con-
 fvetudo, acceptam referunt. Addit paulo post: τοῖς δέ γε
 ἡμετέροις ἀτ' ἀληθείας φίλοις ἀπλῶς καὶ ἀκακοήθει τρόπῳ τὸ
 πραχθὲν παραδέδοται. V. L. V. H. E. c. 5. Affert etiam prae-
 ter Apollinarium imprimis Tertullianum antiquissimum Latini-
 um patrem, huius rei testem, eumque τὴν τε ἰσορίαν βεβαιῶν
 σὺν ἀποδείξει κρείττονι καὶ ἐναργεστέρα dicit. Legi meretur
 Tertullianus L. ad Scapulam fin. ubi ita pronunciat: M. Aure-
 lius in Germanica expeditione Christianorum militum orationi-
 bus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit. Conf. in Apo-
 loger. c. V. Iustinus Martyr in Apol. II. Nicephorus L. IV. H. E.
 c. 12. alii. Ceteroquin de hac historia dissimulare nolu-
 mus, Eusebium subinde illud: λόγος ἔχει inferere, tandem-
 que ita pronunciare: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπητις ἐθέλει, τιθέτω.
 Conf. in Can. Chron. ad A. CLXXIV. et Hieronymus ibid. Marcus
 vero Dei ope tam admiranda ita permotus est, ut Chri-
 stianos postea vexari prohibuerit, eosdemque honore affe-
 cerit.

* Quod iam tum notavit Ios. Scaliger in Animadv. p. 203.

cerit. *Tertullianus Apologet. c. V.* Marcum protectorem (Christianorum) vocat. * Quamquam Edictum Marci pro Christianis non extet: quod tamen doctus quidam Hibernus asserere conatus est. ** *Tertullianus apud Eusebium L. V. H. E. c. 5.* testatur, Marcum mortem iis minatum fuisse, qui Christianos accusare tentassent. *V. ipsum Tertullianum Apologet. c. cit.* Qui dicit, non quidem palam poenam ab eiusmodi hominibus Marcum dimovisse, alio tamen modo palam eandem dispersisse, adiecta etiam accusatoribus damnatione, et quidem tetriore. Legio vero illa Christiana postea ab ipso Marco *νεραυνοβόλα*, seu Fulminea dicta. *Eusebius l. cit.* qui testimonium *Apolinarii* huc affert. Ipse *Dio* aliique Graeci eandem ita appellant: teste *Xiphilino in Epitome saepius cit.* Epistola autem Marci, quae apud *Iustinum circa, fin. Apologetici posterioris ad Aelium Adrianum Antoninum Pium, Marcum etc. A. C. CXLII.* scripti. (*V. Eusebius L. IV. H. E. c. 12.*) habetur, saniorum iudicio virorum subdititia est. *** Neque affirmare ausim, illam esse, quam indicat *Xiphilinus in cit. Epit. Tertullianus apud Eusebium H. E. L. V. c. 5,* testatur itidem, Marci literas de historia hac extare. *V. Apologet. Tertulliani c. cit.* Ex quo

G 2

alio-

* Huc pertinet constitutio illa de qua *Vlpianus ita loquitur:* Eis, qui Iudaicam superstitionem sequuntur, D. D. Verus et Antoninus honores adipisci permiserunt: Sed et necessitatem eis imposuerunt, qui superstitionem eorum non laederent.

** Edictum illud Antonini ad τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας pro Christianis missum, quod extat apud *Eusebium L. IV. H. E. c. 13.* Pii, non Marci est, quamquam nomen *Μάρκος* *Eusebius* adieccrit, addito etiam Armeniaci nomine, quod *Tiro Antonino* tribui non potest. Sed *παράπληγμα* esse certum est. Qua vero ratione commissum illud sit, explicare non licet. *Iosephus tamen Scaliger in Animadvers. ad Euseb. p. 201.* nimium forsitan sibi indulgens, *M. Aurelio* illam pro Christianis Epistolam vindicare ausus est.

*** Argumenta pete ex *Ios. Scaligero in Animadv. p. 204.*

alioquin non absurde colligere liceat, literas illas iam ipsius (Tertulliani) aetate nondum extitisse. Literas Marci insignem hanc victoriam precibus Christianorum tribuentis, extare testantur *idem Eusebius Can. Chron. ad A. C. LXXIV. et Hieronymus ibid.* Ita Deus pios principes honore afficit, et singulari gratia prosequitur. *Eusebius de vita Constantini M.* Sed abruptum filium. Forte enim haec prolixius, quam constitutum erat, tradita.

§. XVIII.

Iam si ANTONINI VERI vitam moresque cum Marci moribus contendamus accuratius, maxime a se invicem abhoruisse deprehendemus. Hoc indicat *Capitolinus in vita Veri c. l. A Marci secta lascivia morum et vitae licentioris nimietate Verus dissensit.*

§. XIX.

De Veri Antonini origine nihil fere memoratu dignum, extat, praeterquam, quod *Capitolinus l. cit.* memorat, quod *origo eius paterna ex Etruria fuerit, materna ex Faventia. Conf. Spartianus in Vero Caes. c. II.* Summorum et eruditione excellentium Virorum doctrinis imbuendus traditus est, inter quos etiam quidam sunt, quorum institutis Marcus eruditus fuit, in primisque iterum haec nominandus Atticus Herodes, in cuius intimam familiaritatem et consuetudinem admissus fuit Verus, quem una cum ceteris recensuit *Capitolinus in Vero c. II.* Sed ingenio non adeo acri, et crebro voluptatum usu obruto erat, neque satis accurata diligentia in excolendo praeclaris disciplinis animo usus est. *Capitolinus l. cit.* de eo dicit, *quod non fuerit ingeniosus ad literas.* Et quamvis curam operamque aliquam in Poeticas et Rhetoricas notitia collocaret, non multum tamen profecit, et se mox a studiorum consuetudine seiunxit. Non dissimulat *Capitolinus l. cit.* qui dicit, *peiores poetam, quam rhetorem fuisse: imo ab aliis adiutum, a quibus ei illa ipsa, quae aliacunque sunt, fuerint scripta.* Et fieri aliter non poterat, cum diligentiam et curam fere omnem, ad palaestrae, circensium, gladiatorii muneris, aliarumque

rumque exercitationum et deliciarum studia transferret. *Idem l. cit. et c. III. Gladiatorias pugnas frequentius in convivio habuit. c. IV. ubi etiam et c. V. de prasinae factionis studio, quo tenebatur, mentio fit, et de circensium studio in primis conf. c. VI.* Hinc etiam non iis, quibus Marcus mature insignitus fuit, honoribus Verus auctus est, quod Capitolinus innuit *Lib. cit. c. III. ut in senatu ante quaesturam non sederit: quod in principum filiis fieri solebat. Neque in itinere cum patre, (Marco) sed cum praefecto praetorio vectus sit; neque aliud honorificentiae adnomen ei adiunctum fuerit, quam, quod Augusti filius sit appellatus. ibid.*

§. XX.

In eo vero maxime Antoninus Verus moderatis et compositis Marci moribus dissimilis factus est, quod profusae luxuriae se totum constringendum praeberet. Ac initio quidem, cum in *Aureliam* i. e. Antoninorum familiam transfisset, aliquantum sibi temperavit. *Capitolinus* hoc vult *c. II.* dicens, quod *Marci moribus et auctoritate formatus* fuerit: amatus etiam ab Antonino Pio *c. III.* Initio quoque Imperii suscepti graviter se ad Marci mores egisse, testatur *idem, c. IV. Conf. etiam in Marco c. VIII.* Reverentiam etiam quandam Verus erga Marcum adhuc habebat. *Idem in Veroc. IV.* et cum iam in bello Parthico versaretur, nomina sibi in illo delata, cum fratre communicavit die triumphi. *c. VIII.* Sed per exiguum tantum tempus moderationem illam servavit. Mox enim comestationibus et varii generis voluptatibus se dedit totum, iam tum etiam, cum in Syriam pervenisset: ut propter crebras comestationes apud Canusium in morbum incideret. *Idem c. VI.* ubi impuro vivendi generi assuetus, Romam rediens Augustam dignitatem spurcis insanisque saepe voluptatibus, Neronis, Vitellii aut etiam Elagabali more, foedisime inquinavit: iisdemque tandem confectus est: Eadem propemodum fere ratione, qua Commodus Imperatoriam dignitatem turpissime foedavit. *Lampridius in Commodoc. II.* In Syria Verus adulteriis foedisque amoribus atque deliciis infamatus, *Capitolinus*

linus in Vero cap. IV. non solum absens, sed etiam, et maxime, cum Romam rediisset, liberio rem vitam egit, auctoritatem fratris contemnens. *Idem. c. VIII.* Reversus e Parthico bello minore circa fratrem cultu fuit. Tunc popinam domi instituit, nocte per tabernas ac lupanaria vagans, obteflo capite, commissabatur cum triconibus, (pessimo et ignavo hominum genere) committebat rixas, nummosque in tabernas maximos iaciebat; moribus fere Neronis aut Gabali illius. *Idem c. IV. v. Lampridius in Elagabalo c. XXXIII.* Conf. etiam *Capitolinus in Marco c. VIII.* Convivium eius nimia luxuria effusisque sumtibus constans sexagies centenis millibus H. S. (supra 100000. Imperialibus) describit *idem in Vero c. V.* Quale fere etiam de Elagabalo memorat *Lampridius c. XXI. XXIV. XXIX. etc.* De villa famosissima ab eodem Vero structa vid. *Capitolinum L. cit. c. VIII.* Quam inepta etiam ratione in effundenda pecunia usus fuerit, liquet ex eo, quod *idem c. VI.* refert, eum Equo suo, quem Volucrum appellabat, aureum simulacrum fecisse, et secum portasse: *Eidemque passas uvas et nucleos in praesepe posuisse, (quae etiam Elagabali vesania fuit, teste Lampridia c. XXI.) sagis item fuco tinctus eum ornasse, et mortuo sepulchrum in Vaticano (prope Circum) fecisse; * et a populo prasinianorum saepe modium aureorum postulatum fuisse.* Inter luxuriae, cui deditus fuit Verus, exempla, referatur etiam calix crystallinus, nomine Volucris, humanae potionis modum supergressus. *Capitolinus cap. X.* Alia stulte si non vesane ab eo acta vid. apud eundem passim. Et, cum auctore Pollione in *XXX. Tyr. cap. IX.* homo luxuriosus crudelissimus sit, Lucium etiam Verum proclivem ad severitatem fuisse, non obscure indicatur ab *Eutropio L. IIX. m. vir,* inqviente, ingenii parum civilis, reverentia tamen fratris nihil unquam a trox ausus. Conf. *Capitolinum vi Marco cap. XVI.* qui eidem vitium ingenitum callidae severitatis attribuiti. Prasiniae etiam factioni, ut iam indicatum, Verus studebat: *Capitolini*

* Quamquam et Adrianus bonus princeps Borysthenem suum sepulchro et epitaphio ornavit. Spartianus in Adriano s. XX, Epitaphium exhibet Salmasius ad l. cit.

Capitolinus in Vero v. IV. et VI. Quod magnam infamiae notam attulit Caligulae et aliis, qui eodem studio tenebantur. Idem maxime exprobrat sacratissimo Imperatori Iustiniano Evagrius L. IV. H. E. c. 31.

§ XXI.

Neque aliter evenire potuit, quin voluptatibus et deliciis obstupesceret eius ingenium, et a seriis curis pro Reipublicae incolumitate agendis, abduceretur. Cum id negotii a Marco ei delatum esset, ut bellum Parthicum in oriente profligaret per duces, in primis Statium Priscum, Avidium Cassium aliosque illud confecit. Ipse interim voluptati indulgit, plerumque in iis locis haerens, quae ad luxum prae ceteris essent accommodata. *Capitolinus in Marco cap. VIII. et in Vero cap. VII. Conf. Eutropius L. VIII. m.* Inter quae etiam Daphnen Antiochiae suburbium, hodie *Nero* appellatum, ab aquarum copia, scriptores memorant: quam voluptatibus insignem a veteribus traditam esse, constat. Hinc *Marcus in Epistola ad praefectum* quendam suum legiones Syriacas *Avidio Cassio* homini severo ideo tradidisse asserit, quia *luxuria diffuerent, Daphnicisque moribus agerent. Gallicanus in Cassio c. V. Conf. etiam Lampridius in Alexandro c. LIV. ** Inde multa segniter ab eo gesta leguntur. Quo illud maxime spectat, quod cum propter defectionem Syrorum Oriens diriperetur, *Verus in Aquileia venatus fuerit, et apud Corinthum et Athenas inter symphonias et cantica navigavit, et per singulas maritimas civitates Asiae minoris (maximam partem) immoratus fuerit voluptatibus. Capitolinus in Vero c. VI.* Miramur merito, quod *Dio in Marco pr.* statuatur, Verum omnia, quae ad bellum Parthicum profligandum faciebant, procurasse; siquidem *Dionis mentem recte proposuit Xiphilinus ἐπιτομῆς. Belli Marcomannici curam nullam fere habuit. Etsi enim ambo*

ad
* Cuius loci deliciis haud dubie captus *Balista*, qui a quibusdam occiso per *Odenatum* *Quieto* purpuram una cum imperio sumpsisse, dicitur, agrum sibi apud eum comparavit. *V. Pollio in XXX. Tyrannis c. XVIII.*

ad bellum illud profecti sunt, cura tamen et opera Marci pleraque gesta sunt. *Verus* interim apud *Aquileiam* tantum *vestatus* convivatusque est. *Capitolinus* in *Vero* c. IX. statimque *Marcus* omnia prospexisse dicitur. Ex quo loco et *itidem* in *Marco* c. XIV. colligitur, *Lucium* invitum ad hoc bellum profectum fuisse, cum praesertim *Marcus* *Aquileia* ulterius progredere. Adeo voluptatum illecebris irretitus erat *Verus*, ut cum ab iis paululum esset abductus, statim ad easdem magno impetu iterum raperetur. Hinc reditum primum *Aquileiam* et imprimis *Romam* urgebat, more *heluonum*, urbanarum voluptatum desiderio flagrantium. De *Commodo* vid. *Herodianus* L. I. pr. Neque satis providam curam in rebus etiam civilibus adhibuit; libertorum arbitrio, more *Claudii*, *Vitellii* aliorumque, (quibus omnibus vitia libertorum imputabat *Adrianus*, teste *Spartiano* in *Adriano* c. XXI. V. etiam *Dionem* apud *Xiphilinum* in *Galba* pr.) se tradens: *Capitolinus* in *Vero* c. VIII. libertis inhonestius indulgit: quos e *Syria* una cum *histrionibus*, quasi *regibus ad triumphum*: item: *fidicinis*, *scurris mimariis*, *praestigatoribus*, et omnibus *mancipiorum generibus* secum duxerat. Cum his male feriatis hominibus vitam fere omnem post reditum e *Syria* in spurcis voluptatibus transegit. *Conf. etiam* c. IX. Quamvis non negemus etiam apud *Marcum* multum libertos valuisse: ut *Capitolinus* testatur in *Marco* c. XV. nullum tamen vestigium reperitur, quo eundem *Nimiam* libertis licentiam concessisse indicatur; Et sunt etiam, qui hoc a *Capitolino* vere dictum negant.

§. XXII.

Quamvis vero *Marcus* serio studio contenderet, ut *Verum* ab inquinato et fordido vitae genere revocaret, et occasiones, quibus ad bonum invitari poterat, ei suppeditaret; non tamen, quae voluit, efficere potuit. Sic eandem ob causam eum ad bellum *Parthicum* destinasse, *Marcus* dicitur, ut *parsimoniam peregrinando addisceret*; vel ut *timore bellico emendatior rediret*; vel ut se imperatorem esse, cognosceret.

Capi-

Capitolinus in Vero c. V. Idem volebat Marcus, cum ad *Vil-*
lam Veri famosissimam accederet, ut nempe *fratri venerabi-*
lem morum suorum et imitandam ostenderet sanctitudinem.
Idem c. VIII. Et ad bellum Marcomannicum neque sine se
Verum mittere, neque in urbe dimittere causa luxuriae vole-
bat. c. IX. Sed corruptos Veri mores corrigere non potuit,
quasi ingenita ei multa vitia fuerint. *Conf. Idem in Marco*
c. XVI. Quare nullum fere aliud laudis genus adeptus est,
quam quod *neque inter malos, neque inter bonos principes ponen-*
das sit: Capitolinus in Vero c. I. qua ratione *Spartianus* pa-
trem huius *Aelium Verum medi ducis famam obtinuisse* di-
cit *in Vero c. III.* Et illud etiam *Capitolini* de *Vero*
Imperatore iudicium, quo modo cum iis, quae de vita *Ve-*
ri refert idem auctor, consistere possint, iudicent, qui accu-
ratus mores Veri perpendunt. Ipse *Capitolinus l. c.* eidem
ascribit *vitae licentioris nimietatem.* Et *c. II.* eundem ap-
pellat *voluptarium et nimis laetum: imo c. X.* eundem fuisse
vitae semper luxuriosae, et in pluribus Neronem, dicit.

§. XXIII.

Ne graviter feras, L. B. tam pauca de *Vero* dicta esse, cum
nihil in iis sit, quae ad vitam eius moresque pertinent, quod
dignum sit, ut in literas mittatur: nisi illud ipsum, quod
Verus mira suorum, et *Marci* morum dissimilitudine se
reddidit insignem, excipere velis. Certe *Dio, Herodianus,*
Eutropius, Aurelius Victor, alii, a quibus amplam de iis, quae
Verus egit, cognitionem expectabamus, spe illa nos plane
sunt frustrati, qui nihil fere de ipso commemorarunt. Ita
omnia de *Veri* vita alto quodam silentio sepulta sunt: *Mar-*
cus illustrem apud posteros memoriam perpetuo illibatam
retinebit.

§. XXIV.

His omnibus inter se rite collatis, declaratur et evinci-
tur, hanc *Marci* atque *Veri* *δυστυχίαν* ideo maxime singula-
rem admirationem in animis omnium excitasse, quod ne-

H

que

que singularis moderatio Marci, neque Veri effusa luxuriant
di libido obstiterint, quo minus aperto a se invicem disside-
rent odio.

§. XXV.

Quamvis autem Imperium ita ambo gesserint, ut nullis
apertis saltem insidiis se oppugnare et evertere studerent,
quin potius Reipublicae salutem factam tectamque ab intesti-
nis cladibus conservarent; non tenuis tamen suspicio subest,
quod se invicem obscuris odiis et simulatibus persecuti fue-
rint. Eius rei insigne affert argumentum *Capitolinus in Vero*
c. IV. Libo enim patruelis Marci, Legati munere in Syria
functus, a Vero veneno sublatus esse creditur, quod Marcum
fratrem suum, more a Romanorum consuetudine non alieno,
appellasset: vel, quod magis verosimile videtur, sui praesentis
adeo non habuisset rationem, ut omnes res expediendas,
quae maioris essent momenti, ad Marcum referret. Accedit,
quod dissolutos Veri mores Marcus indigne admodum fere-
bat; quamvis iram mira ratione vicerit, et patientiam singu-
larem prae se tulerit. Sic postquam Marcus *convivium* illud,
a Vero insana luxuria comparatum, *audiisset, ingemuisse dicitur,*
et doluisse publicum fatum. *Idem c. V. et IX.* ubi expresse dicit,
quod occultus rumor insusurraverit, illam vitae diversitatem in-
ter Marcum et Verum simulates fecisse. Nec non *idem in*
Marco c. VIII. Marcus, inquam, *patienter delicias fratris, ac*
prope invitatus ac volens (medius inter nolentem et volentem)
tulit. *Adde c. XV.* Questus etiam interdum fuit Marcus post
mortem in primis fratris, quod mollis, et, ut expressius Graeca
voce dicam, ἐνδεδιήτην ἐν βίῳ, Veri multa sibi incommo-
da obiecerit, quo minus saepe praeclaras cogitationes suscipe-
re potuerit, imo in cursu negotiorum gravium nonnunquam
impeditus fuerit. Testatur *Capitolinus in Marco c. XX.* quod,
cum *gratias egisset Marcus senatui, quod fratrem consecrasset,*
occulte ostenderit, omnia bellica consilia sua fuisse, quibus superati
sint Parthi. Addito, *nunc demum se quasi a principio procuratu-*
rum

rum esse Rempublicam, amoto eo, qui remissior videretur. Vt haud obscure indicetur, Marcum gavifum morte fratris fuisse. Huc referendam quoque, quod *idem* c. XVI. confirmat, quod Marcus post Veri obitum Rempublicam multo melior et feracior ad virtutes (praeclara negotia) tenuerit; nullis Veri impeditus aut simulatis callidae severitatis erroribus, aut his, quibus praecipue displicebat Marco, iam inde a primo aetatis suae tempore, vel institutis mentis pravae vel moribus. Quicquid autem accidit, quod alterutrum DVORVM AVGVSTORVM ad indignationem et invidiam stimulare poterat, non tamen eo animum permovere valuit, ut acerbitatibus odiisque apertis inter se contenderent, nedum vi armisque invicem certarent. Quae felicitas maxime Marci providentiae et patientiae singulari accepta est referenda. Nec vero iam quisquam in Romano Imperio deficere, aut tranquillitatem publicam, tumultu excitato, et intestinis bellis turbare ausus est, quam diu hoc AVGVSTORVM DVORVM sociatum duravit imperium. Avidium enim Cassium, quem Marcus Asiae praefesse voluerat, qui per menses VI. et dies 16. imperium sibi arrogaverat, Dio apud Xiphilinum in Marco m. ** demum post obitum Veri defectionem fecisse, testatur Capitolinus loc. cit. et Gallicanus in Casio cap. IX. Ver-

H 2

rum

* Tertulliano apud Eusebium L. V. H. E. c. 5. *συνετώτατος βασιλεὺς* dicitur.

** Petavius de Doctr. Temp. A. C. CLXXV. tyrannidem arripuisse Avidium docet, h. A. et post tres menses occisum. Xiphilinus ex Dione in Marco m. Faustinae uxorem Marci Cassium impulisse dicit, ut se ad imperium compararet, cum vereretur, ne post obitum Marci filius Commodus statione Augusta excluderetur, quod crimen eidem inflatum fuisse, etiam Capitolinus indicat in Marco c. XXIV. Auctor. vero vitae Casii (communiter Gallicanus) c. IX. et X. Epistolarum monumentis allatis, falsum esse ostendit.

rum tamen Augustum, adhuc in Syria degentem, tacitis insidiis a Cassio tentatum fuisse, ipsius Veri *Epistola* confirmat *apud eundem c. l.*

§. XXVI.

De morte Marci et Veri etiam pauca dicenda sunt. Obiit autem Marcus omnium, qui unquam imperium Romanum moderati sunt, optimus; *Xiphilinus ex Dione in Marco f.* apud Sirmium. * in ipsa administratione belli Germanici, cum quosdam armis ad officium redegit, alios in societatem ascivisset, *vid. Herodianus L. I. pr. ** A. C. CLXXX. **** In ipsa morte in omnibus, quae egit, ut philosophum decebat, se exhibuit, mortem contemnens, et ridens res humanas; cum etiam a cibo potuque abstinendo, malum auxisset. Morbo contagio serpente, periisse colligitur ex eo, quod filium Commodum dimisisse dicitur, ne in eum morbus transfret: Non etiam sine suspitione veneni, a Commodum per Medicos parati. *V. Capitolinus in Marco c. XXVII. et XXVIII.* Et hoc quidem foedo Commodi scelere interuisse plerique asserunt. *Herodianus* mortis genus non definit; *ἐπιόντα*, inquit, (ad Amicos) *ἐπιπεσῶσα λεπιδυμία κατεσίγασεν, ὑπνιᾶζων δὲ ἀνεπαύσατο* *L. I. pr.* Dio vero *ap. Xiphilinum in Marco f.* se certo accepisse affirmat, Marcum per Medicos Commodum inservientes sublatum esse. Mortuus autem A. Imp. XIIIX. ****
aetatis

* Aurelius Victor *Vendobonae.*

** Quid Aurelius Victor vult? cum dicit, Marcum Iani aedes clausisse, cuius temporibus hostium motus continui fuerunt; Et ipse in expeditione Marcomannica obiit.

*** Testibus Eusebio et Hieronymo ad h. A. Petavio, aliis.

**** Cum Capitolino consentiunt veteres Marci aetati propiores Eutropius L. VIII. m. Aurelius Victor L. de Caesaribus:

aetatis LXI. * *Capitolinus cap. XVIII.* Solus imperavit Annos X. et secundum rationem, quam supputat *Capitolinus in Vero cap. XI. VII. Dio apud Xiphilinum in Marco f. X.* Annos, quibus solus imperavit, ponit. In annis vero aetatis non convenit. Numerat Annos LVIII. et 10. Menses, quam supputandi rationem accuratorem esse censet. *Ios. Scaliger in Animadv. p. 205.* Magna antea dignitatis ornamenta in filium licet *scelestum et impurum*, et qui τὴν εὐμοιρίαν ἀιχροῖς ἐπιτηδεύμασι κατήχυνε, *Herodianus L. I. f.* contulit; nomen scilicet Caesaris, Sacerdotium, nomen item Imperatoris et triumphī, cuius particeps est factus, honorem. ** *Capit. in Marco c. XVI.* Ea solum de causa mortem inique ferebat, quod filium super-

H 3

stitem

ribus: *Recentiores ut Dionysius Petavius et Ant. Pagi- us Eusebium in Can. Chron. ad A. CLXI. et Hiero- nymum ad h. A. sequuntur: cum quibus Scaliger etiam consentire videtur. Accurate tamen vestigia veterum, ut Capitolini &c. secutus est Gilb. Genebrardus in Hist. univers.*

* *In annis aetatis Marci non conveniunt etiam veterum moni- menta. Ios. Scaliger ad Eusebium sententiam Dionis tuetur. Anno Vero avo Marci et Augure COSS. natum Marcum liquet. V. Capitolinus in Marco c. I. Et vi- detur sane Capitolinus annos aetatis nimis ampliasse. Sive enim consulatum Veri et Auguris in anno C. CXXI. praeunte Dion. Petavio de Doctr. Temp. L. XIII. h. A. aliis: sive, ut aliqui putant, in A. C. CXXIII. constituas, anni tamen LXI. numerari nequeunt.*

** *A. C. CLXXIX. Eusebius in Can. Chron. h. A. et Hiero- nymus eod. A. Hinc etiam Eusebius l. cit. de Mar- co dicit: κόμμοδον καινωνόν ἐποίησατο βασιλείας. ibi- demque A. sequenti etiam Augustum appellatum asse- rit. Secundum Petavinm de Doctr. Temp. A. C. CLXXVI. Marcus Commodum Imperatorem fecit.*

bitem relinqueret. c. XXVII. * *Conf. Herodianus L. l. pr. qui*
 itidem confirmat, Marcum dolore animi affectum, mente
 quasi praecepisse, Commodum utpote *παῖδα τῆς τῶν μαιρα-*
κίων ἡλικίας ἀρχόμενον, luxui ludicrisque rebus se totum tra-
 diturum. *Conf. elegantem Marci orationem*, qua in extremo
 vitae tempore Commodum amicis et propinquis serio com-
 mendat. *ibidem.* Imo optasse Marcum, ut filius decederet,
 non occulte significat *Capitolinus, L. cit. c. XXVIII. Fertur,*
inquiens, illum filium mori voluisse. Augurabatur enim Mar-
 cus, maximas calamitates Imperio Romano eum daturum
 esse, qui tum quoque, cum adhuc viveret Marcus, a saniori vi-
 tae genere desciscere incipiebat. Quare etiam mirum non est,
 divulgatum esse illud de Marco dictum: *Nibil felicius fuisset*
Marco, si Commodum non reliquisset heredem. V. Spartianum in
Severo c. XXI. et conf. Capitolinus cap. XVIII. Eoque magis,
 quod secundum *Dionem apud Xiphilinum in Marco f. Mar-*
 cus omnem, quam potuit, adhibuit diligentiam, ut Commo-
 dus optimis studiis assuefieret. Et *Herodiano teste L. l. pr.*
 Marcus eundem *μετὰ τῆς ἄλλης ἐπιμελείας ἀνετρέψατο*
πάντοτε τῆς ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἐπὶ λόγοις δοκιμωτάτης ἐπὶ συν-
τάξεσιν ἢ ἐυκαταφρονήτους καλῶν.

§. XXVII.

Antoninus Verus autem, cum Aquileiam versus pro-
 fectus esset, ut Romam e bello Marcomannico rediret, una
 cum Marco in vehiculo sedens *apoplexia correptus*, inter Al-
 tinum et Concordiam ** mortuus est: cum nimio luxu
 vires corporis confecisset. *Capitolinus in Vero c. IX. et in*
Marco

* *Quem verborum sensum prodit emendatio a Casaubono*
instituta; Eundemque, quanquam alia restituendi ratione
usus confirmat Salmasius, quos vid. ad h. l.

** *Hieronymus in Interpret. Can. Chron. Euseb. ad A.C. CLXX.*
Conf. etiam ipsum Euseb. in Can. Chron.

*Marco c. XIV. Conf. Eutropius L. VIII. m. quē Marcus, quo
 miti erat animo, divum appellavit, eidemque honores, qui divis
 habentur, dedicavit: in eos etiam, qui sanguine iuncti Vero
 erant, magna liberalitate honores et salaria conferebat. Capit.
 L. c. c. XVI. Vixit annos XLII. imperavit annos IX. si re-
 centiorum plerorumque rationem subducentium fidem
 sequamur. Capitolinus in Vero c. XI. annos Imperii numerat
 XI. Eusebius in Can. Chron. ad A.C. CLXX. annos IX. constituit;
 cum quo facit etiam Dion. Petavius de Doctr. Temp. ad A.
 C. CLXIX. et CLXXX. Hieronymus vero in Interpret. dubius est.
 Eutropius tamen cum Capitolino consentit. Sane de Vero
 Imperii annis certi quid statuere, temeritatis esset.*

§. XXVIII.

Postremo de morte Marci et Vero multa rumor disse-
 minavit, inter quae etiam illud traditum legimus, quod
 Vero a Marco exitium veneno dato fuerit paratum. Re-
 fert Capitolinus in Marco c. XV. quod fama tenuerit, Mar-
 cum veneno Verum ita sustulisse, ut parte cultri veneno lita, vul-
 vam incidere, venenatam partem fratri edendam propinans, et
 sibi innoxiam reservans: vel certe per Medicum Posidippum,
 qui ei sanguinem intempestive emisit. Conf. idem in Vero c.
 XI. Quam suspicionem etiam quodam modo confirmavit
 illud, quod ab eodem L. cit. c. IX. narratur, L. Verum
 depositum vehiculo, detracto sanguine, cum triduo mutus vi-
 xisset, periisse. Fama praeterea iactatur, Verum Marci vi-
 tae insidias fecisse una cum Fabia sorore. Capitolinus in
 Vero c. X. tantam fuisse familiaritatem inter Lucium et Fabiam
 asserit, ut fama vulgatum sit, quod inierint consilia, ad Mar-
 cum e vita tollendum. V. etiam Xiphilinus ex Dione in Marco pr.
 Et Aurelius Victor quoque tangit hanc interfecti a Marco
 Vero suspicionem. Sed rumor hic sine auctore et sine
 capite est, ut pleraque haec sermonibus potius, qui nullo
 satis firmo testimonio nituntur, sparsa, quam veris do-
 cumentis argumentisque confirmata, innotuerint. Ma-
 xime, quod de Marco scelus rumore vulgatum est, ab
 ipsius

QX 511
ipsius singulari sanctitate et integritate vehementer ab-
horrere iudicamus. Quod etiam censet *Capitolinus L. cit.*
c. XI. Hanc fabulam, inquit, Marci non capit vita. Et pau-
lo post: *hoc nefas est, de Marco putari: statim adiiciens:*
Hoc nos non in medio relinquimus, sed totum purgatum confu-
*tatumque respicimus. * conf. etiam c. X. et in Marco c. XV.* Imo
audi *Aurelium Victorem L. de Caesaribus: Haec, inquit, in-*
in tanto viro credere, nisi animi ad scelus prona non queunt.
Non etiam leve ad liberandum ab huius parricidii crimine
Marcum affert momentum, sententiarum de morte Veri
varietas, cum alii *Faustinae*, alii uxori (*Lucillae*) *flagitium*
mortis assignent, ut loquitur Capitolinus in Vero c. cit. Alii ali-
ter sentiant.

§. XXIX.

Plura erant, quae heic excutere constitutum erat.
Nam etiam illa, quae ex aliis veterum monumentis non al-
latis, ad huius *δυναρχίας* historiam aliquid conferre poterant,
diligentius indagare animus erat. Inprimis amplas eru-
ditionis opes veterum Iurisconsultorum Libri suppedita-
bant, quibus illa, quae ad mores resque gestas Marci et Ve-
ri pertinent, praeclare illustrari et explanari possunt. Sed
non licuit omnia huc transferre. Tu ergo, quisquis
haec leges, in conatu meo acquiesces, et pro aequitate tua,
hoc interim Catone contentus eris.

* *Summorum Virorum emendationem sequi liceat.*

FELICITER.

Σφάλματα.

In titulo l. ante penult. Cio IsCcu. §. II, l. 20. HAraldus. §. IV. l. 63. fo-
lenNe l. 72. Sine. l. 88. appellabantur. l. 101. apud. l. 139. RespubliCa,
l. 149. Seqvamar. l. 153. illustriOR §. VI. l. 5. Fecerat. l. 42. post c. XXII.
infer. τὸ ubi. l. 43. positum §. VIII. l. 17. IDEM. l. 30. hIS, §. X. l. 12.
Ob. §. XI. l. 2. eaVdem. l. 12. obsecutus. l. 13. vEl. l. 70. CommodVs. §.
XIII. l. 6. impulsus. l. 17. pro In qvam. (* l. 3. Νικομηδέα.) l. 63. post
sapientiae. infer. et. l. 66. post hoc infer. et. l. 76. RhetoricorVm l. 77.
memoratVR. l. 184. affingebant. §. XIV. l. 87. Solum. l. 109. ibideM-
que. §. XV. l. 17. quantVM. l. 39, post fecit ponatur *. l. 70. esseT. §.
XVI. l. 18. Cassio, (**. descriptOs.) l. 62. liTerarumque.



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Centimetres

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

RECORDED
FRIDAY
MAY 1910
M. A. V. R. E. I.
M. A. V. R. E. I.
CONRADO SA
M. CHRIST
M. A. V. R. E. I.
M. A. V. R. E. I.
M. A. V. R. E. I.

